DE
SARCOPHAGO MARMOREO
PROBI ANICII,
ET PROBÆ FALTONIÆ
IN TEMPLO VATICANO

DISSERTATIO

ABB. JO: CHRISTOPHORI BATTELLI
EJUSDEM SACROS. BASILICÆ BENEFICIATI.



ROMÆ, MDDCV. Typis Cajetani de Zenobiis, ante Seminarium Romanum.

SUPERIORUM FACULTATE.

1705

EMIN.MO AC REV.MO PRINCIPI

FRANCISCO

TIT. S. LAURENTII IN LUCINA
PRIORI PRESBYT.

S. R. E. CARDINALI

N E R L I O

SACROS. BASIL. VATIC.
ARCHIPRESBYTERO.

Jo: Christophorus Battellus Felicitatem.

PLura *ſunt, &* *quidem egregia, quæ Beatiſſimus Pater*

CLEMENS XI. PONTIFEX *virtute magis, ac geſtis, quàm nomine* MAXIMUS *præcipui ſui in Vaticanam Baſilicam amoris exhibuit argumenta: plura inſuper, nec ſanè vulgaria ſunt, quæ in ipſam hactenùs edidit Pontificiæ liberalitatis exempla, quorum memoria altè animis noſtris infixa æternùm vivet; nullum tamen illuſtrius, neque præſtantius ſive amoris, ſive liberalitatis in eam prodidit documentum, quàm dum* TE (EMINENTISSIME PRINCEPS) *ejuſdem Baſilicæ Archipresbyterum deſignavit. Grande hoc, & inſigne beneficium adeò ceteris omnibus antecellit, ut, cum nequidem ad*

ſpem

ſpem referendæ umquam gratiæ nos accedere patiatur, eam planè duram nobis imponat neceſſitatem, ut vivamus, & moriamur ingrati. Verùmenimverò judicium illud, [a] illa electio non unius omninò CLEMENTIS *fuit; nam quotquot Vaticani Templi miniſteriis addicti ſumus, hoc idem tacitis, ſed tamen anxiis, ſolicitiſque votis expetebamus. Ille tantùm jure Principis occupavit, primuſque fecit, quod ultrò nos ipſi feciſſemus, ubi nobis eligendi facultas tributa potiùs, quàm obſequendi gloria relicta fuiſſet.*

a Plin. in panegyr. Trajan.

b Suffragia noſtra.
Jam Tibi detulerant, quidquid mox debuit Aula.

b Claudian. de laud. Stilic. lib. 1.

Hinc profectò manavit mirum illud, & incredibile gaudium, quod omnes Vaticani Cleri ordines implevit, ſimul ac electionis tuæ fauſtiſſimum nuncium vulgatum eſt. Quod quidem gaudium non modò mærorem, in quo propter obitum planè luctuoſum Cardinalis *optimi* Caroli Barberini *meritò verſabamur, ab omnium cordibus uſquequaque deterſit: ſed etiam univerſos certam in ſpem erexit, ut jacturam, quam dolebamus, ſatis reparatura foret virtus optimi, ac ſapientiſſimi Succeſſoris. Cur enim non effuſè gaudendum, non etiam felicia quæque ſperanda nobis eſſent, eo ſacrorum Præſide*

con-

conſtituto, cujus ſumma in Principem Apoſtolorum, ejuſque auguſtiſſimam Baſilicam veneratio, & ſtudium perpetuò enituit: cujus Nomen in Canonicorum dypticha jampridem relatum tanto olim Vaticano Capitulo ſplendori fuit, ac ornamento: cujus demum eximia, & nunquam ſatis laudanda munificentia quotidiè nobis ipſis ante oculos obverſatur? Non enim Divino Numini debita gratiarum, & laudum ſacrificia offerre, ideſt Canonicum juge penſum exſolvere poſſumus, quin manibus tua munera contrectemus, elegantiſſimum nempe Breviarum Romanum ad usum Cleri Basilicæ Vatica-

NÆ, *quod tuâ in primis operâ ordinatum, tuoque ære regiis formis Pariſienſibus editum, quo tempore apud* REGEM CHRISTIANISSIMUM *Apoſtolici Nuncii partes egregiè ſuſtinebas, regiâ profectò liberalitate Vaticano Clero largitus es, ut amoris, ac humanitatis tuæ perenne monumentum. Quo quidem maximè illuſtri, ac ſplendido beneficii genere non modò Sacroſanctæ Baſilicæ dignitatem ad invidiam uſque, ſi dicere fas eſt, ceterarum omnium Orbis Eccleſiarum extuliſti, verùm etiam tunc viventes, & qui illis ſucceſſimus, quique nobis ſuccedent, ad aſſiduas benedictiones inclyto tuo Nomini tribuendas*

ar-

arctiſſimè devinxiſti. Porro non hæ tantùm privatæ rationes Te *nobis acceptiſſimum effecere. Occurrebant ſcilicet omnium mentibus, omnium oculis ingentes illæ, eximiæque virtutes, quarum præſidio ſupra ancipites caſus, Aulæque incerta, ac lubrica ſemper eminens, ſemperque* Te *ipſo major apparens, inſignia* Tibi *trophæa domi, foriſque erexiſti. Quis enim ignorat, quàm ſapienter, ac prorſus egregiè apud Polonos, Germanos, Gallos, Nuncius Pontificius Rempublicam procuraveris? quot illuſtrium populorum plauſus, quot potentiſſimorum Regum honores, & laudes promerueris? quantam*

Tibi

Tibi *apud omnes reverentiam, admirationem, amorem meritò comparaveris? prædicantibus ubique de* Te *certatim perinde ſummis, ac infimis morum ſanctimoniam, ingenii vim, doctrinæ præſtantiam, religionis zelum, conſilii prudentiam, animi magnitudinem planè ſingularem. Poſtquàm verò earumdem virtutum, rerumque à* Te *præclarè geſtarum æquiſſimus æſtimator* CLEMENS X. P. M., *ſacro plaudente Senatu, univerſâque propemodùm Aulâ geſtiente, ampliſsimam, ſed jure debitam, Romanæ Purpuræ* Tibi *detulit Dignitatem, ac uno, eodemque tempore ad ſe invitatum* Te *muneri omnium diffi-*

cil-

cillimo, gravisſsimoque præfecit, ut ardua quæque Chriſtianæ Reipublicæ negotia, & ſecretiora ejus benè gerendæ conſilia tecum communicaret: quâ fide, ſapientiâ, integritate, conſtantiâ traditam Tibi *provinciam adminiſtraveris, Sanctæque Sedis authoritatem, & jura ſarta tecta ubique cuſtodire ſtudueris, notius profectò ſingulis eſt, quàm ut meâ operâ fieri poſsit illuſtrius. Satis præterea comperta ſunt, diuque in ore famæ verſabuntur, quæ cum ampliſsimæ Florentinæ Eccleſiæ primùm, mox & Aſsiſienſi præeſſes, piè, ſapienterque geſsiſti. Vidit in* Te (quod D. Gregorius [a] à ſacro Antiſtite maximè po-

[a] *Regiſtr. epiſt. lib. 4. epiſt. 55.*

ſtu-

ſtulabat) *vidit, inquam, in* TE *uterque Clerus, quod diligeret: ſpectavit, quod imitandum ſibi proponeret: exemplo tuo vivere edoctus eſt. Tuum Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurandæ zelum, populi ſanctis moribus informandi ſtudium, charitatem in pauperes, beneficientiam in omnes etiamnùm, qui teſtes fuere, in Cœlum laudibus efferunt. Paſtoralem inſuper ſolicitudinem tuam abundè loquuntur adhuc, & prædicant habitæ continenter Diœceſanæ Viſitationes, pia opera, & ſpiritualia exercitia inſtituta, Supplicationes, Miſſiones, Synaxes certo, recurrentique ordine diſtributæ, ac Synodales in primis ſanctiſ-*

ſimæ,

ſimæ, & ſaluberrimæ leges, quibus ab utroque grege credenda, obſervanda, vitandave ad æternam ſalutem, facili, perſpicuâ, expeditâque methodo complexus es. Utraque autem Eccleſia nunc quoque pietatis, & amoris erga ſe tui egregia oſtentat argumenta: plurima nempe ſacra Supellectilia, eaque materiâ, & opere pretioſa, quibus ipſas, etiã abiens, ſplendidâ, regiumque in morem effusâ largitione ditaſti. Verùm etſi in multâ Te *luce poſuerint, Nomenque tuum immortalitati ampliſſimè commendaverint, quæ cum in Apoſtolicis Miniſteriis, tum etiam in Paſtorali Officio præclarè feciſti: non minorem tamen* Tibi *gloriam,*

riam, & claritudinem pepere-
re, quæ ſive latinâ, ſive etru-
ſcâ linguâ ſcripſiſti; utrãque
a Plin. epiſt. 175. enim tantum profectò vales, [a]
ut eâ magis excellere videaris,
quâ cum maximè ſcribis, aut
loqueris. Quàm diſerta om-
nia? quàm terſa? quàm erudi-
ta? Hinc ſanè literatorum om-
nium, quos ceteroquìn benignè,
ac impensè foves, gravis ad-
modùm, & longa querela eſt,
quod in publicum prodire mi-
nimè paſſus hucuſque fueris rei
Eccleſiaſticę Commentarios, plu-
rium annorum ſtudio, ſummâ-
que fide, & curâ à Te elucu-
bratos, quorum editione pluri-
mum Eccleſiæ præſidii, pluri-
mum etiam ornamenti adii-
cien-

ciendum fore mira eruditio tua, mira inſuper eloquentia pollicentur. Sed jam pauca hæc de immensâ laudum tuarum ſegete delibaſſe ſufficiat, ne epiſtolæ modum excedere videamur. Alius erit de TE *uberiùs dicendi locus; neque enim hoc mihi propoſitum in præſentiâ eſt, ſed tantùm à* TE *petere, ut meam hanc qualemcumque Diſſertationem* DE SARCOPHAGO MARMOREO PROBI ANICII, ET PROBÆ FALTONIÆ, *quam veriùs tuam dixerim, cum tuo quodammodò è ſolo,* TEQUE *potiſſimùm Authore prodierit, quâ ſoles, humanitate ſinas magni tui Nominis fulgoribus illuſtrari. Quod à* TE *facilè impetrari poſſe &*

æqui-

æquitas cauſæ, & tuus æquitatis amor abundè perſuadent. Æquiſsimum enim eſt, ut Opuſculum inde præcipuè ſuam ſibi comparet dignitatem, & patrocinium, undè materiam, & argumentum accepit. Vale, & ad ſummam Vaticanæ Baſilicę felicitatem quàm diutiſsimè vale.

Diſ-

DIſſertationem: De Sarcophago Marmoreo Probi Anicii, & Probæ Faltoniæ in Templo Vaticano *ab Illuſtriſſimo Domino Abbate Joanne Chriſtophoro Battelli eruditè exaratam, mandante Reverendiſſimo Patre Fr. Paulino Bernardinio Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro diligenter perlegi, nihilque in eâ offendi, cui Catholica Religio, morumque probitas adverſetur: immò ex hoc Sarcophago tam egregiè illuſtrato Eccleſiaſticæ antiquitatis inſignia monumenta reſurgere animadverti. In Chriſtianæ ſimul, ac literariæ Reipublicæ uſum, ac profectum opus igitur digniſſimum cenſeo, quod in lucem prodeat. Ex Ædibus S. Mariæ, ac Gregorii in Vallicella.* Prid. Kal. Auguſti 1705.

Jacobus Laderchius Presbyter
Congreg. Oratorii.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sacri Pal. Apoſt.

Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulanus Viceſgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Prædic. Sac. Apoſt. Pal. Mag.

D E
SARCOPHAGO MARMOREO
PROBI ANICII,
ET PROBÆ FALTONIÆ
IN TEMPLO VATICANO.

I. INTER egregia, omnique ævo memoranda VATICANÆ BASILICÆ decora principem ſanè locum tribuendum eſſe crediderim multitudini, atque præſtantiæ Sanctorum corporum, quæ in eâ condita

 ſunt;

ſunt; unde ab ipſo ſuæ ædificationis exordio præclari nominis gloriam obtinuit, ſummamque venerationem, & cultum toto penè terrarum orbe ſibi meritò comparavit. Præter enim auguſtiſſimum Principis Apoſtolorum depoſitum, quod ibidem maximâ fidelium religione, ac celebritate habitum ſemper fuit, aliorum etiam ſupra triginta Sanctorum Pontificum juxtà enumerationem *Boſii Rom. ſubterr. lib. 2. cap. 6., & Aringh. ejuſdem argumenti lib. 2. cap. 8.* ſacris exuviis eam nobilitari compertum eſt, qui primævis illis Eccleſiæ temporibus, ex inſtituto S. Anacleti, ideò apud B. Petri ſepulchrum humari volue-

luerunt, ut ſicuti, dum inter homines agerent, & fidei zelo, & Cathedræ conſortio, & martyrii plerique honore illi conjunctiſſimi fuerant, ità etiam defuncti uſque ad conſummationem ſeculi beatis ejus cineribus adhærerent. Unde manavit exemplum etiam ad Pontifices Succeſſores, quos non alibi ſæpius, quam in Templo Vaticano ſepeliri ſolenne olim fuit, idemque mos noſtrâ quoque ætate adeò conſtanter perſeverat, ut illic tumulo condi, præter Pontificem, liceat nemini, nec ipſis Regibus id à Pontifice, niſi præcipui honoris loco tribuatur. Quem quidem honorem ſuperioribus annis meritò tributum

vidimus CHRISTINÆ ALEXANDRÆ Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginæ ob orthodoxam Religionem, abdicato Regno, abjuratâ hæreſi, piè ſuſceptam, eximièque cultam celeberrimæ, cujus nomini CLEMENS XI. P. O. M. gratum ęternę laudis monumentum ibidem regiâ planè magnificentiâ nuper excitavit.

II. Satis prætereà exploratum eſt Vaticanam Baſilicam quatuor aliorum Apoſtolorum, Pauli, Andreæ, Simonis, & Judæ, Apoſtolicoruminſuper Actuum Scriptoris, & Evangeliſtæ Lucæ, duorum inſignium Græcæ Eccleſiæ Doctorum Jo: Chryſoſtomi, ac Gregorii Nazianzeni,

ni, & quamplurium illuſtrium Confeſſorum ſacra pignora poſſidere. Quibus adjicitur innumerabilis planè congeries S.S. Martyrum, quorum corpora vel condita primùm fuere in celeberrimo, & fortè omnium antiquiſſimo Cœmeterio Vaticano, ſupra quod Eccleſia ipſa conſtructa eſt, vel pio variorum Pontificum ſtudio è ſuburbanis Cœmeteriis, aut aliundè illuc translata ſunt. Cujus rei illud præ cæteris luculentum teſtimonium habetur, quod cum, Julio II. Pontifice, novæ magnificentiſſimæ molis fundamenta jacerentur, totum veteris Baſilicæ pavimentum undequaque refertum, ſubſtratumque Sanctorum corpo-

ribus inventum fuit. Quapropter pius Pontifex locum adeò religioſum, & ſacrum proſcindi, ruiniſque opprimi minimè paſſus eſt, ſed ut venerandæ antiquitati, ac devotioni fidelium uno, eodemque tempore conſultum eſſet, pavimentum ipſum omni ex parte integrum, inviolatumque ſervari, ac intra novi à ſe deſignati Templi terminos includi voluit: quod *Alpharanus* rerum ejuſdem Vaticanæ Baſilicæ ſedulus perſcrutator, & ſcriptor in Opuſculo, quod m.ſ.in illius Archivo aſſervatur, his planè verbis memorat.*Unum inter reliqua mirabile, & maximâ omnium exultatione dignum accepi, quod referre exul-*

to,

to, & omnibus patefacere conor: loca ſacra, atque ſepulchra ſub antiquę Baſilicę pavimento propriis in locis integra, & intacta Julii II. Pont. Max. juſſu permanere; quin etiam ipſum pavimentum integrum, & nullibi defoſſum, præter quam ubi novæ Baſilicæ fundamenta jacta fuerunt. Et hoc non immeritò; nam pius Pontifex audierat ipſius Baſilicæ medianam navem, atque tranſverſam, quam Crucem vocant, Sanctorum Oratoriis, atque ſepulchris refertas, à cunctis fidelibus magnâ veneratione coli. Idcircò illas præcipuè partes illibatas reſervandas, & Baſilicæ novæ parietibus circumſtruendas Bramanti

Ar-

Architecto diſtrictè mandaverat. Id ſine cunctatione executum fuiſſe experimento comperimus. Præstereà ſepulchrorum cadavera in effoſſione reperta omnia, communi ſepulchro ad hoc ſpecialiter elaborato, ſemper cum honore fuiſſe repoſita. Hactenus *Alpharanus*.

III. Id ipſum ſuâ quoque ætate, anno videlicet redempti Orbis 1607., eveniſſe teſtatur *Aringhus Rom. ſubterr. lib. 2. cap. 7. num. 11.* his verbis. *Cum novi Templi conſtruendi causâ vetus alicubi pavimentum aperire, ac ſubmovere opus fuiſſet, haud pauca numero ſub eo ſepulchra reperta ſunt, quæ etſi titulo, ac inſcriptione carerent,*

ſignis

ſignis tamen quàm certis Sanctorum ibi Martyrum extarè oſſa intuentibus dabatur intelligi. In quodam igitur tumulo, cunctis obſtupeſcentibus, oſſa recenti conſperſa ſanguine poſt longa revoluta ſecula mirum in modum viſa ſunt. In altero item ſepulchro adoleſcentuli cujuſdam corpus, ut ex oſſibus conjici potuit, videndum ſe obtulit, ſuper quo nigri coloris velum appoſitum erat, coagulatum adhuc, exſiccatumque in ſuperficie cruorem exhibens, quem profectò fideles, qui ejuſdem carnificinæ, ac martyrio interfuerant, de more, ut jam diximus, aſſervandum pietatis ſtudio collegerant. Qua ratione Paulus V.

Pontifex , qui per ea tempora miro ſtudio recentioris fabricæ opus urgebat, nullam omninò veteris pavimenti partem, Iulii Prædeceſſoris exemplo, diſiici, vel in profanæ areæ uſum excludi ſuſtinuit; ſed amplificatis novi Templi finibus ultra Ichnographiam à Michaele Angelo Bonarota præſcriptam, univerſum Conſtantinianæ Baſilicæ ambitum novæ molis acceſſione complexus eſt: ut ſcilicet, quod alibi tradit *Aringhus*, veneranda beatorum Martyrum ſepulchra, & conditoria ſub ipſo pavimento deliteſcentia intacta permanerent, iiſque ſua dignitas, & antiqua religio ſervaretur. Sacra verò corpora iis in lo-

cis

cis reperta, in quibus novæ fabricæ fundamenta locare oportuit, ut, quâ par erat, veneratione perpetuò cuſtodirentur, eodem jubente Pontifice, duobus amplis Polyandris hujus rei gratiâ non procul ab Apoſtolico ſepulchro conſtructis perhonorificè illata ſunt, quemadmodùm præter *Aringhum* fusè narrat *Turrigius in Crypt. Vatican. part.* 1. *pag.* 31. & 60., ubi præcipuè teſtatur in altero ex duobus Polyandris quinquaginta circiter arcas, ſeù cophinos ſacris lipſanis refertos, ſe præſente, fuiſſe locatos; quod ſanè multitudinis ſanctorum corporum ſub antiquæ Eccleſiæ pavimento conditorum, ut diximus, præ-

cla-

clarum eſt argumentum.

IV. Hoc itaque nomine tanta præ ceteris Urbis Eccleſiis olim extitit Vaticanæ Basilicæ dignitas, & veneratio, ut non modò Pontifices Maximi, & Romanæ Eccleſiæ Proceres Cardinales intra illius ambitum ſepeliri certatim cuperent, verùm etiam Imperatores, Reges, Reginæ, aliique ſummi Principes, quibus extremum diem Romanâ in Urbe claudere datum eſt, magno honore ſe affici arbitrarentur, ſi vel in ipſo Vaticani Templi veſtibulo ſepulturæ locum obtinerent, ut pluribus allatis exemplis luculenter oſtendunt *Aringhus Rom. ſubterr. lib. 2. cap. 9.*, & *Boſius ejuſd.*

ar-

argum. lib.2. cap.7. Quod enim in Regiis janitores ſunt Regibus, *id in Sepulchro* (inquit Chryſoſtomus) *Reges eſſe geſtiebant Apoſtolico Piſcatori; & præclarè ſecum agi putabant, ſi janua ipſis aſſignaretur veſtibularis.* Eodem Chriſtianæ pietatis inſtinctu plures etiam Romanorum familię nobiliſſimę, ac præpotentes ſua quondam ſepulchra prope B. Petri Confeſſionem exſtruenda curaverant: alia quidem intra ædiculas, & cubicula ſubterranea, alia verò in ſuperiore Vaticani ſoli parte locata, quorum Sarcophagi marmorei ſacrarum hiſtoriarum imaginibus plerùmque cœlati ante veteris Eccleſiæ demolitio-
nem

nem paſſim ſpectabantur, eorumque plures temporis injuriis ſuperſtites adhuc inſpicere licet, vel in Cryptis Vaticanis, vel in Iconibus, quas *Boſius*, & *Aringhus* hoc etiam nomine de Vaticanâ Baſilicâ benemeriti vulgaverunt.

V. Porrò inter Romanas familias, quæ ſua olim in Vaticano monumenta condiderant, Anicia in primis fuit, nulli opibus, potentiâ, ac dignitatum honore ſecunda: quippe quæ Paulinos, Baſſos, Olybrios, & Probos, magna quondam in Urbe nomina, veluti ſua germina complectebatur, ut *Cardin. Baronius*, *Aringhus*, & *Boſius*, Faſtorum Conſularium authoritate,

tate, veterumque lapidum fide probant. Cujus quidem familiæ ſplendor miris laudibus tum ab Ethnicis, tum ab Eccleſiaſticis Scriptoribus celebratur, eamque Theodatus Gothorum Rex in epiſtolâ ad Senatum, Populumque Romanum ſcriptâ apud *Caſſiodor. var. lib.* 10. *epiſt.* 12. inſigni planè elogio *familiam toto Orbe prædicatam* appellat; & paulò ante ad Maximum Anicium ſcribens, cui conjugem regiæ ſtirpis adjunxerat, & Primiceriatus contulerat dignitatem, hæc ait. *Anicios quidem penè Principibus pares ætas priſca progenuit: quorum nominis dignitas ad te ſanguinis fontè perducta, collectis viribus hi-*

larior inſtaurata rutilavit. Quis ergo relinqueret in poſteris minus honoris, quos tamdiù conſtat fuiſſe præcipuos? Accuſarentur ſecula, ſi talis potuiſſet latere familia. Ad eam item pertinet, quod *D. Hieronymus* inquit in epiſt. 8. ad Demetriadem. *Nunc mihi Proborum, & Olybriorum clara repetenda ſunt nomina, & illuſtris Anicii ſanguinis genus, in quo aut nullus, aut rarus eſt, qui non meruerit Conſulatum.* Eademque de frequentibus in eâ familiâ Conſulatibus habet etiam *Claudian. carm. de Conſulat. Olybr., & Probin.* his verſibus.

quemcumque requiris

Hac

Hac de ſtirpe virum, certum
eſt de Conſule naſci.
Per faſces numerantur Avi,
ſemperque renatã
Nobilitate virent, & prolem
fata ſequuntur
Continuum ſimili ſervantia
lege tenorem.
Nec quiſquam Procerum ten-
tat, licet ære vetuſto
Floreat, & claro cingatur
Roma Senatu,
Se jactare parem.

Illud tamen cetera omnia hujus nobiliſſimæ Familiæ præconia, & decora longè ſupergreditur, quod inter Romanas opibus, & dignitate preſtantes prima adnumeretur, quę Chriſto nomen dederit, ut *Prudentius adverſus*

Symmach. lib. 1. cecinit his verſibus.

Jamque ruit, paucis Tarpejâ in rupe relictis,
Ad ſincera Virum penetralia Nazareorum,
Atque ad Apoſtolicos Evandria Curia fontes,
Anniadum ſoboles, & pignora clara Proborum.
Fertur enim ante alios generoſus Anicius Urbis
Illuſtraſſe caput: ſic ſe Roma inclyta jactat.
Quin & Olybriaci generiſque, & nominis hæres
Adjectus faſtis, palmatâ inſignis abollâ,
Martyris ante fores Bruti ſubmittere faſces

Am-

Ambit, & Auſoniam Chriſto
inclinare ſecurim.
Non Paulinorum, non Baſſo-
rum dubitavit
Prompta fides dare ſe Chri-
ſto, ſtirpemque ſuperbam
Gentis patriciæ venturo at-
tollere ſeclo.

Poſtquam verò Chriſtiana ſacra ſuſcepit, religionem, ac pietatem adeò eximiè coluit Aniciorum familia, ut ex eâ Beatorum Martyrum, Confeſſorum, ſacrarumque Virginum copioſa ſeges effluxerit, quorum pręclaris virtutibus, & exemplis Dei Eccleſia mirificè illuſtrata eſt, teſte prę ceteris *Cardinali Baronio*, qui in ſuis paſſim Annalibus Anicię Gentis

egregia monimenta commemorat.

VI. Hęc igitur inclyta Familia ad perenne Chriſtianæ pietatis argumentum ſatis ampla olim habuit in Vaticano cubicula, ac ſepulchra, ut Anaſtaſii Bibliothecarii teſtimonio *Boſius*, & *Aringhus* oſtendunt. Ad eam verò præcipuè pertinebat nobile quoddam ædificium inſtar Templi magnificè conſtructum poſt veteris Baſilicæ apſidem, & marmoreis hinc indè columnis ſuffultum, quod in honorem Probi Anicii Præfecti Prætorio clariſſima fæmina Proba Faltonia ejus uxor erexerat. Cujus veſtigia deprehendere adhuc licet ex Tabulâ Ichnographi-

phi-

phicâ ejuſdem antiquæ Baſilicæ ab *Alpharano* exactiſſimè delineatâ, quam *Severanus in ſacris ſeptem Eccleſiarum monumentis*, & nuperrimè *Ciampinus in ſuâ Synopſi hiſtoricâ de ſacris ædificiis à Conſtantino Magno conſtructis* ediderunt. In hoc itaque celebri ædificio, quod Templum Probi ab Antiquariis nuncupabatur, Proba Virum ſuum unicè ſibi dilectum tumulandum curaverat, eodemque & ipſa tumulo conſociari voluerat, ut ſculpta in columnarum epiſtyliis epitaphia legentem edocebant. Perſeveravit memoria illa integra, licet neglecta, uſque ad Nicolai Papæ V. tempora, qui amplioribus ſpatiis

exædificare novam Baſilicam Principis Apoſtolorum primus aggrediens Templum illud Probi, quod veteris Eccleſiæ apſidi jungebatur, evertit;& ſicuti ipſa Aedes,ita etiam illius Inſcriptiones omninò periiſſent, niſi opportunè quidem,nec ſine divino nutu,accidiſſet,ut ante ſex menſes, quam ſtructura nobilis excinderetur, *Maffæus Vegius* ejuſdem Baſilicæ Canonicus, Templum illud, ingreſſus, ſicut ipſe teſtatur initio *libri quarti* ſui elegantis *Opuſculi de rebus antiquis memorabilibus Baſilicæ S.Petri*, quod m.ſ. in Vaticanâ Bibliothecâ aſſervatur, ædificiumque egregium admiratus, ſed contemptum dolens, carmina

na in epiſtyliis columnarum inciſa ſedulò deſcripſiſſet. Ea, quamvis *à Baronio ann.* 395. *tom.* 4. *propè fin. Grutero Inſcript. pag.* 450. *num.* 4. & 5. *Aringho Rom. ſubterr. lib.* 2. *cap.* 9., aliiſque pluribus edita fuerint, ſupervacaneum tamen non ducimus rurſus hìc legenda proponere; ſunt autem hujuſmodi.

Eximii reſolutus in ætheris æquore tantum
Curris iter, cunctis integer à vitiis.
Nomine quod reſonas, imitatus moribus æquè,
Jordane ablutus, nunc Probus es melior.

Di-

Dives opum, claruſque genus, præclarus honore,
Faſcibus inluſtris, Conſule dignus avo.
Bis geminâ populos Præfectus ſede gubernans
Has mundi phaleras, hos Procerum titulos
Tranſcendis, ſenior donatus munere Chriſti;
Hic eſt verus honos, hæc tua nobilitas.
Lætabare priùs menſæ regalis honore,
Principis alloquio, Regis amicitiâ.
Nunc propior Chriſto Sanctorum ſede potitus
Luce novâ frueris, lux Tibi Chriſtus adeſt.

O' nun-

O' nunquam deflende tuis, cum vita maneret,
Corporis atque artus ſpiritus hos regeret.
Primus eras, nullique Patrum virtute ſecundus.
Nunc renovatus habes perpetuam requiem.
Candida fuſcatus nullâ velamina culpâ,
Et novus inſuetis incola liminibus;
His ſolare tuos, quamquam ſolatia mæſta
Gratia non quærat, gratia Chriſte tua.
Vivit in æternâ Paradiſi ſede beatus,
Qui nova decedens muneris ætherii

Veſti-

Veſtimenta tulit, quo demigrante Belial
Ceſſit, & ingemuit hìc nihil eſſe ſuum.
Hunc tu Chriſte Choris jungas cœleſtibus, oro:
Te canat, & placidum jugiter adſpiciat.
Quique tuo ſemper dilectus pendet ab ore,
Auxilium ſoboli, conjugioque ferat.

Hactenùs Epitaphium Probi, quod ſequebatur & aliud utrique, Viro ſcilicet, ac Probę Conjugi commune, his planè verſibus exaratum.

Sublimes quiſquis tumuli miraberis arces,

Di-

Dices:quantus erat, qui Probus hìc ſitus eſt!
Conſulibus Proavis, Soceriſque, & Conſule major,
Quod geminas Conſul reddidit ipſe domos.
Præfectus quartùm toto dilectus in Orbe,
Sed famâ emenſus quidquid in Orbe hominum eſt.
Æternos, heu! Roma Tibi qui poſceret annos,
Cur non vota tui vixit ad uſque boni.
Nam cum ſexdenos menſis ſuſpenderet annos,
Dilectæ gremio raptus in Aethra Probæ.
Sed periiſſe Probum meritis pro talibus, abſit,

Cre-

Credas Roma tuum: vivit, & aſtra tenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus
Parcus opum nulli, largus at ipſe fuit.
Solamen tanti conjux tamen optima luctus
Hoc Proba ſortita eſt, jungat ut urna pares.
Fælix heu! nimiùm fælix, dum vita maneret,
Digno juncta Viro, digna ſimul tumulo.

VII. Disjecto deindè hujuſmodi ædificio à Nicolao V. Pontifice ad conſtructionem novæ Baſilicæ inchoandam, dum illius fundamenta altiùs effoderentur, in-

ingens ibidem SARCOPHAGUS Pario quidem è marmore, opere autem compoſito elaboratus, ſacriſque imaginibus eleganter ſculptus, cujus gratiâ Diſſertationem hanc conſcribendam ſuſcepimus, inventus eſt, in quo multa jacebant oſſa, quæ Probi, & Probæ fuiſſe credita ſunt, quemadmòdum idem *Vegius*, qui vidit, teſtatur,traditque unà cum oſſibus multam auri copiam, quod veſtibus inibi conſepultis intextum erat, ſimul inventam; denique addit ipſum Sarcophagum tunc fuiſſe tranſlatum ad Oratorium S. Thomæ Apoſtoli, ibique uſui fontis baptiſmalis aptatum: Oſſa autem, quæ intus reperta ſunt, in Cæme-

me-

meterio Vaticano fuiſſe recondita. Manſit nobilis iſte SARCOPHAGUS, & ſacro Baptiſmatis fonti inſervivit in eodem Oratorio S. Thomæ uſque ad Pauli V. Pontificis ævum, qui Oratorium ipſum novi Templi amplificandi gratiâ dejecit. Inde, ut narrat *Aringhus loc.cit.*, plures mutavit ſedes, donec in Sacello novæ Baſilicæ, quod primum ad lævam ingredientibus occurrit, locatus eſt. Ibi etiam perſtitit, eumdemque prębuit uſum uſque ad annum 1694., quo ad oppoſitum Sacellum Sanctiſſimi Crucifixi translatus fuit, aliò abire coactus, ut locum cederet pręnobili, ac magnificę moli, quam ſ. m. INNOCEN-

TIUS

TIUS XII. ibidem in uſum fontis Baptiſmalis extruxit. Jacet itaque nunc ſpectatiſſimus hic lapis in obſcuro Baſilicæ loco, ſed adnitente in primis Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali FRANCISCO NERLIO ejuſdem Baſilicę Archipresbytero, & Sac. Congregationis Fabricę Pręfecto, qui pro eximiâ animi ſui pietate, ac planè inſigni in ipſam Eccleſiam ſtudio, cultuque multiplicibus, atque pręclaris argumentis teſtato, ea omnia, quæ ad illius ornamenta ſervanda, vel augenda pertinent, egregiè promovet, nobiliori in ſede collocandum fore ſperamus; qualis profectò debetur memorię pręſtantiſſimi viri Probi, & ſan-

ctiſſimę fęminę Probę, ut ipſam *Cardin. Baronius* appellat, quorum oſſa ultra decem ſecula ibidem condita fuiſſe creduntur.

VIII. Hujuſce *Sarcophagi* anteriorem faciem delineandam primus omnium curavit *Cardin. Baronius*, eamque exhibuit *Annal. Eccleſiaſt. tom.* 4. *propè finem*, ut venerandæ antiquitati, ſicuti ipſe ait, *proſpectum eſſet, & in quo paſſa viſa erat detrimentum, poſtliminio (quantum fas eſt) ipſa reſtitueretur antiquitas*. Illius deindè tum anteriorem faciem, tum poſteriorem, & laterales etiam partes, exactiùs quidem delineatas, ac inciſas vulgavere *Boſius Rom. ſubterr. lib.* 2. *cap.* 8., *&*

Arin-

Aringhus ejuſd. Oper. lib. 2. cap. 10. eaſque nos iterum iiſdem formis excudi fecimus, ac in tribus iconibus ad Opuſculi calcem rejectis ipſas lectori contemplandas offerimus. Porrò inſignis hic lapis *longus* eſt palmos decem cum dimidio, *latus* palmos tres cum tribus ex quatuor partibus alterius palmi, *altus* verò palmos novem menſurę romanę.

IX. Antica igitur hujus *Sarcophagi* facies quinque loculamentis, & ſenis columnis in ſpiram ſtriatis conſtat. Medio in loculamento, quod ceteris majus eſt, ſculpta cernitur ipſa veneranda *Salvatoris* ἀπώγωνος *imberbis* effigies, qui alterâ manu *Crucem gemmatam*,

alterâ *volumen complicatum* ſu-ſtinet. Ad Salvatoris dextram *S.Pauli*, ad ſiniſtram verò *S. Petri* ſimulacra ſpectantur. Rurſus ad dextram S. Pauli quatuor *Apoſtoli*, totidemque alii ad ſiniſtram S. Petri, bini per ſingula loculamenta, diſpoſiti ſunt. Salvator, ſicuti etiam Apoſtoli, *tunicâ*, *&* *pallio* amicti apparent, & calceati *ſandaliis*. Plerique itidem Apoſtoli *volumina* in manibus ferunt. Salvator inſiſtit *monti*, è quo *quatuor fontes* erumpunt. In ſuperiori autem parte juxta labrum *Sarcophagi* ſupra columnarum epiſtylia decem *turtures*, ſeù potiùs *columbæ* ſculptæ ſunt, cibum ſenis è ciſtis capientes.

Pars

X. Pars ejuſdem *Sarcophagi* poſterior ſub majori loculamento duabus columnis quadratis innixo effigies exhibet *Probi*, & *Probæ* inibi olim, ut creditur, conditorum, qui dextras inter ſe complicatas conjugali licentiâ tenent. Induitur Probus, qui conjugis latus tegit, *tunicâ*, & *pallio* illi Apoſtolorum conſimili, lævâque manu *volumen* gerit. Proba verò *ſtolâ* pectori præcinctâ, & *pallâ*, quæ à capite ad pedes uſque deſcendit, amicta conſpicitur. Calceati ambo ſunt communibus calceis. Hinc, & indè ſub duobus minoribus loculamentis, quæ totidem quadratis columnis ſuſtentantur, duo alii Apoſtoli, vel Sancti

tunicâ,& *pallio* veſtiti, calceatique *ſandaliis*, cum volumine in cujuſque ſiniſtrâ manu, inciſi ſunt. Sex aliæ *turtures*, vel *columbæ* cibum totidem è ciſtis ſumentes ſuperiorem lapidis partem coronant.

XI. Partes demùm laterales Sarcophagi tribus unaquæque loculamentis, & quatuor columnis in ſpiram ſtriatis conſtant. Singula loculamenta binis Apoſtolorum, aliorumve Sanctorum imaginibus, quæ conſimiles ceteris omninò ſunt, exornantur; ſupra quas aliæ itidem ſenæ ab utraque parte *columbæ*, ſeù *turtures* eodem planè modo cælatæ apparent. Opus ipſum ſatis affabrè elaboratum arbitran-

trantur ſtatuariæ periti, habitâ quarti Eccleſiæ ſeculi ratione, quo felicia illa Veterum ingenia vivos ducentia de marmore vultus omninò in Urbe defecerant. Quæ verò myſteria in ejuſdem *Sarcophagi* figuris præcipuâ animadverſione digna videntur, modò hìc ordine explicare conabimur, allatis iis, quæ *Card. Baron.*, & *Aringh.* de hoc ipſo lapide tradiderunt, & pluribus aliis adjectis, quæ ad eruditionẽ pertinentia lectori non injucunda futura ſperamus: cui tamen relictam volumus integram, ſi quid melius, certiuſque ipſi occurrat, aliter opinandi libertatem.

XII. Primùm itaque in fronte *Sarcophagi* obſervanda

proponitur *Redemptoris effigies*, qui, quamvis in adultâ jam ætate, & cum Sanctiſſimæ Crucis ſigno, quam adultus profectò ſubiit, repræſentetur, juvenili tamen facie, & adhuc *imberbi* cælatus eſt: eâ planè ſpecie,quâ & in aliis pleriſque antiquis ſepulchralibus tabulis ſculptum, vel depictum inveniri tradit *Aringhus Rom. ſubterr. lib.* 6. *cap.* 17. Id autem non temerè,nec abſque myſterio à veteribus Chriſtianis uſurpatum fuiſſe credimus: & ſi nobis opinari fas eſt, ideò Chriſtum Dominum eâ ſpecie repræſentari conſueviſſe arbitramur, ut per ipſam duplex Chriſti natura, divina ſcilicet, ac humana, fide-

lium

lium oculis, & mentibus contemplanda exhiberetur. Humana quippè natura ſatis exprimitur in humanâ facie, & in Sanctiſſimæ Crucis ſigno, cui affixus Redemptor noſter dirum mortis tormentum pertulit, ut homo, *delevitque*, ſicuti Apoſtolus loquitur ad *Coloſſ. cap.2.*, *quod adverſus nos erat, Chirographum Decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Divina verò natura ſatis adumbrata videtur in juvenili, & planè imberbi Salvatoris effigie: quâ cum *Aringho loc. cit.* ſignificari exiſtimamus apud Deum, cui ſua ſola coexiſtit æternitas, nihil antiquum eſſe, nihilque

omni-

omninò præteritum, ſed cuncta immenſæ illius æternitati præſentia, & abſque ullo prorsùs diſcrimine temporum nova omnia jugiter computari. Quod *Philo Hebræus in ſuo opere de ſacrific. Abel, & Cain* eleganter explicavit his verbis. *Sed à Deo nunquam ſeneſcente, ſemperque juvene nova, recentiaque bona copiosè accipiendo, diſcant credere non eſſe quidquam vetus apud Deum, aut omninò præteritum, ſed ſubſiſtens abſque tempore, naſcenſque &c.*

XIII. *Crux gemmis ornata*, quæ in Redemptoris dextrâ manu conſpicitur, pium ſignat morem veterum Chriſtianorum, quibus, ut *S. Joannes Chriſoſto-*

ſoſtomus advertit in homil. de adorat.Cruc., ſanctiſſimum hoc ſalutis noſtræ Trophæum ex auro, margaritis, gemmiſque effigiare ſolenne fuit:ut ſcirent omnes Crucem ſontium olim ſuppliciis infamatam,ipſo viſu horrendam, ore nefandam, & horrore cavendam, ex quo eam pro ſalute hominum Chriſtus Redemptor noſter ſpontè ſubiit, jam fuiſſe redditam fulgentem, decoram, pretioſam, atque glorioſam; cujus moris meminit etiam *Prudentius contra Symmach. lib.*1., cum Romam alloquitur, his verſibus.

Agnoſcas Regina libens mea
ſigna neceſſe eſt,
In quibus effigies Crucis, aut
gem-

gemmata refulget,
Aut longis ſolido ex auro
præfertur in haſtis.

Hujus autem religioſiſſimi inſtituti primordia referenda profectò ſunt ad Conſtantinum Magnum, qui poſt partam inſignem de Maxentio Tyranno victoriam Sanctiſſimæ Crucis virtute, ad illius cultum, & venerationem ubique terrarum propagandam miro ſtudio exarſit, & primus omnium in ipſomet Romani Fori umbilico ſuum erigi juſſit ſimulachrum, quod triumphale Crucis vexillum dextrâ manu præferebat, nobili hoc inſcripto titulo, ut *Baron. tradit ann.* 312. *tom.* 3. *pag.* 79. *edit. Roman.*

Hoc

Hoc ſalutari ſigno
Vero fortitudinis indicio
Civitatem veſtram
Tyrannidis jugo liberavi,
Et S. P. Q. R. in libertatem vindicâns
Priſtinæ amplitudini, & ſplendori reſtitui.

Quinimò & in ſuo Conſtantinopolitano Palatio Crucem auream pretioſis undique gemmis excultam locari præcepit; quod *Euſebius lib.* 3. *cap.* 4. *Vit. Conſtant.* his planè verbis memorat: *tantus item, & tam divinus amor Imperatoris animum complexus eſt, ut in ipſo Palatii introitu, in ædificio omnium excellentiſſimo, in medio tecti laqueari inaurato, in tabulâ maximâ ex-*

explicatâ. ſalutaris paſſionis inſigne ex lapillis pretioſis cujuſque modi, auroque multo politè elaboratis confectum figendum curaverit.

XIV. *Volumen* illud, quod Chriſtus Dominus ſtans ſupra *montem* lævâ manu præfert, quâ ſpecie in antiquis præſertim tabulis pictus, & ſculptus frequenter occurrit, ſignificat novæ legis editionem ab eodem Reparatore noſtro peractam, qui eſt lux mundi, & via, veritas, ac vita, & *liber vitæ*. Ita explicatur à *Durando in Rational. lib.* 1. *cap.* 3. *&* à *Ciampin. de vet. monum. cap.* 27. *pag.* 247. Quod autem *Salvator monti inſiſtens* exhibeatur, referendum

vi-

videtur ad ejuſdem novæ legis promulgationem in monte factam, de qua *Matth. cap.* 5. Neque id myſterio caret; ſicut enim Deus legis antiquæ tabulas Moyſi traditurus illum acerſivit in ſummum verticem Montis Sinai, ut ab ipsâ loci altitudine præceptorum ſublimitas dignoſceretur; ità planè æternus Dei filius majora præcepta oblaturus populo, quem charitate jam liberari convenerat, par erat, ut è *montis* cathedrâ cæleſtis doctrinæ ſuæ aperiret exordium; quod *S. Auguſtinus lib.* 1. *de ſerm. Domin. in monte* his verbis exponit. *Si quæritur quid ſignificet mons, benè intelligitur ſignificare majora præcepta*

juſtitiæ, quia minora erant, quæ Judæis data ſunt. Et inferiùs: *de hac ergò juſtitiâ, quæ major eſt, per Prophetam dicitur: Juſtitia tua, ſicut montes Dei: & hoc benè ſignificat, quod ab uno Magiſtro ſolo docendis tantis rebus idoneo docetur in monte*. Volumina conſimilia, quæ in Apoſtolorum Chriſto aſſiſtentium manibus conſpiciuntur, acceptam ab ipſo facultatem docendi, & prædicandi Evangelium omni Creaturæ, deſignant; ea autem non incongruè manibus retinent, cum ab eodem Salvatore moniti fuerint *facere, & docere*, ut advertit *Ciampinus* loco proximè citato.

XV. Sacræ Chriſti Domini,

ni, & Apoſtolorum *Imagines tunicatæ, ac palliatæ* apparent, quales in ſingulis ferè Cæmeterialibus Tabulis inſpiciuntur. Eo indumenti genere uſum fuiſſe Redemptorem noſtrum ſatis apertè tradit *Euthymius* in illa Joannis verba *ſurgit à cæna, & ponit veſtimenta*, ubi hæc ait: *veſtimenta, hoc eſt, pallium: nam eo ſolemus exui aliquid operis facturi*. Euſebius autem lib.7. cap.14., & Sozomenus l.5. apud Cæſaream Philippi ad ſua uſque tempora æream Chriſti Domini ſtatuam pio ſtudio mulieris à ſanguinis profluvio curatæ illi erectam ſtetiſſe teſtantur, quæ quidem ſacra Imago *tunicam*, ac *pallium* præferebat.

bat. Apoſtolos itidem hoc eodem indumenti genere uti conſueviſſe ex illis Domini verbis apud *Matthæum cap.* 5. perſpicuè comprobatur: *qui vult tecum* (inquit Chriſtus) *judicio contendere , & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et Matth. 16. *Nolite poſſidere duas tunicas.* Indè verò, nimirum à Chriſti, & Apoſtolorum exemplo, Clerici morem ſumpſerunt deferendi tunicam, & pallium , quibus noſtrâ etiam ætate communiter indui ſolent, ut notat *Aringhus lib.6.cap.28. num.* 1. Erat olim *pallium* propria veſtis Philoſophorum, præcipuè Græcorum; hinc Chriſtiani, qui veræ ſapientiæ ſectato-
res

res ſe profitebantur, ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis pallium, tamquam convenientem ſuæ profeſſioni habitum uſurparunt; quod *Tertullianus* in ſuo eruditiſſimo Opuſculo *de Pallio* fuſiùs explicat, & poſtquam de illius formâ, uſu, & laudibus ſubtilitèr, & copiosè diſſervit, tandem de ſe ipſo, relictâ Gentilitate ad Chriſtianam Religionem converſo, quòd togam, commune Romanorum indumentum, abjecerit, & pallium ſumpſerit, hęc ait in fine Opuſculi. *At ego jam me illi etiam divinæ ſectæ, & diſciplinæ commercium confero: Gaude pallium, & exulta: melior jam te Philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtia-*

num veſtire cæpiſti. Quid autem pallium myſticè ſignificet, *S. Ambroſius de Virgin. lib.* 3. diſertè nos docet his verbis. *Caveamus igitur ne lapſus noſter, vulnus Eccleſiæ fiat: ne quis à Nobis pallium auferat, hoc eſt, amictum prudentiæ, inſigne patientiæ, quo mollioris ambitio veſtis exuitur. Qui enim mollioribus veſtibus induuntur, in domibus Regum ſunt. Nobis autem pallium dedit Chriſtus, quo Apoſtolos ſuos, & corpus ſuum ipſe veſtivit. Quod denique jubet te dare, ſi quis à te tunicam petat, ut dimittas ei & pallium, ideſt, inſigne philoſophiæ tuæ tradas, & quaſi amictu prudentiæ tuæ eum, qui antè nudus fuerat, circum-*

cumveſtias. Multa hìc alia de pallio, ac tunicâ nobis ediſſerenda ſuppeterent, ſed ne diutiùs in his, quæ eruditis nota ſunt, immorari videamur, ad reliqua, quæ ad inſtituti noſtri propoſitum propiùs ſpectant, progrediemur.

XVI. Salvatoris, & Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum pedes teguntur *Sandaliis*; quod certè non ad Sculptoris placitum factum credas, nec ad temporum mores, vel regionis referendum, ſed potiùs ad ejuſdem Domini noſtri mandatum, qui *Marc.cap.*6. præcepit Apoſtolis *Nequid tollerent in viã, niſi virgam tantùm: non peram, non panem, neque in zonâ æs,*

ſed calceatos Sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis. Sandaliis igitur ex præcepto Domini Apoſtolos, quin etiam ipſum Dominum uti conſueviſſe tum hæ, tum plures aliæ antiquiſſimæ eorum Imagines luculenter oſtendunt. Ideò verò Salvator Sandalia geſſiſſe, eorumque uſum Apoſtolis injunxiſſe fertur, quia in Paleſtinæ præſertim regione ejuſmodi calceamenti genus ab infimæ ſortis dumtaxàt hominibus, ac egenis uſurpabatur: quales profectò Dominus ſectatores ſuos eſſe, palamque exteriori etiam corporis cultu ſemetipſos exhibere in primis cupiebat, ut tradit *Aringhus Rom. ſubterr. lib.* 6. *cap.* 28. Quid

autem

autem Sandalia ſignificent, *Beda in epiſt. ad Epheſ. cap.* 6. his verbis exponit. *Marcus dicendo calceari Apoſtolos Sandaliis, vel ſoleis, aliquid hoc calceamentum myſticæ ſignificationis habere admonet, ut pes neque tectus ſit, neque nudus ad terram, ideſt ne occultetur Evangelium, nec terrenis commodis innitatur.* Hoc idem Evangelicæ prædicationis myſterium in Sandaliis agnoſcit, & explicat *S. Anſelmus* in Matth. homil. 3. *Calceamentum eſt totum Evangelium. Apoſtoli dicuntur habuiſſe Sandalia, quæ ſubtus ſoleas habent, deſuper verò aperta, & ligata corrigiis, quia pedes Apoſtolorum ſunt calceati in præparatione*

Evangelii pacis. Evangelium debet Prædicatores munire, ne terrenis adhæreant, ſed debet eſſe apertum audientibus, ad quos eunt. Eidem planè ſententiæ adſtipulatur *Albinus* de divinis Offic. ubi hæc ait. *Sandalia dicuntur ſoleæ: eſt autem genus calceamenti, quo induuntur Miniſtri Eccleſiæ, ſubſteriùs quidem ſoleâ muniens pedes à terrâ; ſuperiùs verò operimentum habens: ſignificat autem Miniſtrum Verbi Dei non debere terrenis incumbere, ſed potiùs cæleſtibus inbiare, & prædicationem ſuam nulli occultare.*

XVII. *Quatuor fontibus*, ſeù potiùs fluminibus è monte, cui Salvator inſiſtit, ſcaturientibus

bus deſignari opinamur, quatuor illa Paradiſi celeberrima flumina, de quibus in Geneſi cap. 2. *& fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui indè dividitur in quatuor capita.* His autem quatuor fluminibus ab uno fonte de loco voluptatis egredientibus, jugiterque fluentibus ad irrigandam ſuperficiem univerſæ terræ, ſacra quatuor Evangelia ab uno Domino Salvatore, qui eſt fons vitæ, per univerſum mundum diffuſa, myſticè prænotari una, eademque eſt omnium ferè Patrum, ſacrorumque Interpretum ſententia; inter quos *S. Eucherius in cap. 3. Geneſ.* hæc ait. *Quatuor*

Para-

Paradiſi flumina quatuor ſunt Evangelia ad prædicationem cunctis gentibus miſſa. Idipſum tradit etiam diſertiſſimus *Cyprianus tractat.de ablut.ped.*hęc dicens: *hinc egredientia quatuor Evangelii flumina per univerſum mundum regenerationis evehunt lavacrum*: & epiſt. 73. ad Julian. *has arbores rigat quatuor fluminibus, ideſt Evangeliis quatuor, quibus Baptiſmi gratiam ſalutaris cæleſti inundatione largitur*. Idem planè *Theodoretus* affirmat in illa Regii Prophetæ verba: *fluminis impetus &c. fluvium* (inquit) *hìc Evangelicam prædicationem nuncupavit: ſicut enim Paradiſi fons in quatuor flumina divi-*

diviſus eſt, eodem modo hìc Dei fluvius infinitos habuit, & innumerabiles rivos, qui percurrerunt omnes hominum gentes. Porrò *Innocentius Papa* 3. in ſermone, quem habuit in feſto S.Gregorii Magni, iiſdem fluminibus divinarum ſcripturarum fluenta, earumque myſticos ſenſus ſignificari his verbis tradit: *fluvius indè progrediens eſt Sacra Scriptura, quæ per Spiritum Sanctum eſt edita, & expoſita. Sicut enim fluvius ille dividitur in quatuor capita, ſic Scriptura Sancta in quatuor ſpecies, Hiſtoriam, Allegoriam, Anagogen, & Tropologiam.* Hæc Innocentius.

XVIII. Inter *Sarcophagi* Ima-

Imagines animadverſione digna videtur *inverſa, atque præpoſtera collocatio SS. Apoſtolor. Petri, & Pauli*: hic enim ad dextram, ille verò ad ſiniſtram Salvatoris conſtitutus apparet, ut Petri calvities oſtendit, quâ fermè ſpecie eum à priſcis uſque temporibus pingi conſueviſſe notat *Molanus de ſacr. Imagin. lib. 3. cap. 21.* Perantiqua ſanè eſt, & multorum torſit ingenia, quæſtio: *Cur Paulus in pleriſque veteribus ſignis*, & *imaginibus, quin etiam hodiè in Apoſtolicis diplomatibus, à dextris Petri collocetur*: cum juxtà vulgarem ſenſum hoc rerum ordo depoſcat, ut Petrus, qui Senatus Apoſtolici Princeps eſt, dexte-

rum

rum latus teneat, Paulus autem, qui junior eſt, & illi poteſtate inferior, ſiniſtrum jure poſſideat, ut ait *D. Petrus Damiani*, qui omnium primus *in epiſtolâ ad Deſiderium* quæſtionem hanc diſcutiendam ſibi propoſuit. Variæ quidem ſunt circa ejuſmodi morem Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententiæ, quas operæ pretium ducimus hìc paucis perſtringere.

XIX. Opinantur quidam ideò Petrum in ſiniſtrà collocari conſueviſſe, quia pars læva, vel ſiniſtra apud veteres cùm Romanos, tùm Græcos, quin etiam apud Hebræos, dignior, atque nobilior dextrâ in ſacris habita fuerit; quod multis allatis

argu-

argumentis,& exemplis ſuadere conantur præ ceteris *Chaſſanæus in Cathalog. glor. mund. part.3. conſ.2.*, *Goropius Becanus lib. 3. Hieroglyph.*, *Baron. ann.325. tom.3. Bin. in annotat. ad Concil. Nicen.*, *Macrius in ſuâ notitiâ Vocabul. Eccleſ. verb. Bulla*. Sed multò copioſiùs, ac eruditiùs omnibus ſiniſtræ manus dignitatem probare nititur *Antonius Nebriſſenſis in adnotat. ad quinquag. ſcripturæ loca.*

XX. Hæc autem opinio à pluribus aliis, & prẹſertim ab eruditiſſimo *Allatio de Eccleſ. Occident., & Orient. perp. conſenſ. lib.1. cap.6. num.7. & ſeq. Macedo de clavibus Petri, & poteſt. Roman. Pont. in* Biblio-

the-

theca Max. Roccabert. tom. 12. *& Mucantio in ſuo inedito opuſculo de Imaginibus SS. Petri, & Pauli* doctè, ſolidè, & copioſiſſimè confutatur, ſimulque ſtatuitur dextram multò digniorem, prȩſtantioremque apud omnes populos ſemper habitam fuiſſe. Idipſum ſentire videtur etiam *S. Petrus Damiani*, qui propterea ratus non inconſultè à religioſâ antiquitate digniorem locum Paulo fuiſſe tributum, ad alias myſticas ejuſmodi moris rationes examinandas convertitur. Porrò hujus ſententiȩ Sectatores arbitrantur Paulum Petro olim fuiſſe prȩlatum, & nunc maximè in Apoſtolicis diplomatibus anteferri

hono-

honoris gratiâ ; cujus honoris ſex potiſſimùm rationes proponunt.

XXI. Prima eſt quia Paulus plus Eccleſiæ profuiſſe videtur, quâm Petrus; plures enim ex Gentibus ad Chriſti fidem adduxit: plures Provincias ſummo cum labore peragravit: plura ſcripta, eaque utiliſſima nobis reliquit. Eccleſia verò in colendâ Sanctorum memoriâ ęquè reſpicit gradum honoris, quem habuerunt in terris, ac utilitatis, quam poſteris attulerunt. Cum autem gratitudinis causâ eos honoret, illis majorem cultum defert, quibus plus debet. Certè Stephanus, & Laurentius Diaconi tantùm erant, quorum ille

ille S. Jacobo Epiſcopo, & Apoſtolo, iſte S. Sixto ſummo Pontifici miniſtravit, & tamen Eccleſia magis honorat Stephanum, quàm Jacobum: magis Laurentium, quàm Sixtum, quia clariſſima horum Diaconorum martyria toti Eccleſiæ mirificè pręluxerunt. Pari ratione S. Hieronymus, & S. Thomas Aquinas ſimplices Presbyteri fuerunt: Antonius, Benedictus, Franciſcus, ne Presbyteri quidem, & tamen ab Eccleſiâ, quòd ad cultum attinet, multis ſanctis Epiſcopis, & Martyribus, & Summis etiam Pontificibus prępo-nuntur, quoniam illi ſcriptis libris, iſti Ordinum religioſorum inſtitutione plurimùm Eccleſię

profuerunt.His planè verbis primam hanc rationem explicat *Cardin. Bellarmin. de Roman. Pontif. lib.*1.*cap.*27.

XXII. Altera ratio eſt, quia Paulus de Tribu Beniamin erat,& in ipſo Beniamin demonſtratus, ac typicè expreſſus in Scripturis; porrò Beniamin, etſi poſtremus erat inter filios Jacob, tamen & à patre filius dexterę eſt appellatus, & à Joſeph omnibus fratribus antepoſitus, ut habetur in *Geneſi cap.* 35., *&* 42.Cui quidem rationi à *Petro Damiani* primùm excogitatę, & mox admiſſę à *Bellarmino,ubi ſupra, Menoch. Stromat. lib.*1.*cap.*21., *Caſal. de vet.ſac. Chriſtian.rit.cap.*2., & pluribus

aliis,

aliis, planè conſonant carmina poſita in argenteo Ciborio Sacroſanctę Lateranenſis Eccleſię, in quo veneranda Capita SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli aſſervantur, eo inter ſe ordine collocata, ut Paulus dexterum, Petrus autem ſiniſtrum locum teneat, teſte *Soreſino* in ſuo *Opuſculo de iiſdem ſacris Capitibus cap.* 1. ſunt autem carmina hujuſmodi.

Cedit Apoſtolicus Princeps Tibi
Paule: vocaris
Nam dextræ natus, vas, tuba clara Deo.

XXIII. Tertia ratio eſt, quia Paulus Doctor gentium pręcipuè fuit, Petrus autem Judęorum: ut igitur ſignificaret

Eccleſia Gentiles Judęis antepoſitos eſſe ab eo, qui dixit *major ſerviet minori*, Paulum Petro antepoſuit. Ita *Bellarminus*, *Menochius*, & alii pręcitati.

XXIV. Quarta ratio eſt, quia dextera ſignificat vitam cęleſtem, ſiniſtra verò temporalem; undè non immeritò dexter locus Paulo tribuitur, qui de Cœlo vocatus fuit à Chriſto immortali, & regnante, ac ſedente ad dexteram Patris, & vivens adhuc ad cęleſtia raptus eſt. Petrus autem vocatus fuit à Chriſto adhuc mortali carne circumdato, & quodammodò in ſiniſtris conſtituto, ideòque illi ſiniſtra aſſignatur. Hanc rationem maximè probat *S. Thomas in*

epiſt.

epiſt. ad Galat. cap. 1. *lect.* 1. ubi hęc ait. *Petrus qui vocatus fuit à Chriſto adhuc in carne mortali poſito, ponitur in Bullâ Papæ in ſiniſtrâ parte; Paulus verò, qui vocatus fuit à Chriſto glorificato, ponitur in dexterâ:* eamque rationem allegant etiam *Petrus Damiani ubi ſupra, Innocentius* 3. *ſerm. de Evangeliſtis, Durandus in Rational. lib.* 7. *cap.* 44., *Menochius, & Caſalius* locis proximè citatis.

XXV. Quinta ratio eſt ideò Petrum collocari à ſiniſtris, ut illius humilitas, ac modeſtia, quâ maximè excelluit, hoc exemplo declaretur, ſimulque documentum ſumatur Pontificem Maximum non aliâ virtute

magis, quàm humilitate prædi-
tum eſſe oportere; quod ipſe pa-
lam profitetur, dum in omnium
Apoſtolicarum literarum exor-
dio ſe ſervum ſervorum Dei ap-
pellat. Hanc rationem attingunt
præ ceteris *Mucantius*, *Caſa-
lius*, & *Soreſinus* locis prælle-
gatis, eamque fuſiùs, ac eruditè
comprobat *Dominicus Rainal-
dus apud Allatium de Eccleſ.
Occid.*, & *Orient. perpet. con-
ſenſ. lib.* I. *cap.* 6. *num.* 12.

XXVI. Sexta demum ra-
tio eſt, quia dum Paulus Petro
præponitur, ſignificari poteſt
hos Apoſtolos eſſe meritis ęqua-
les: nam & Scriptura æqualita-
tem inter Filium, & Patrem ſi-
gnificat, dum Filium docet ad
dex-

dexteram Patris ſedere. Ita *Caſalius*, & *Soreſinus*, qui ad aſſumptum comprobandum ſequentia carmina ſubdit.

Biſſenos inter Proceres duo lumina, per quos
Roma potens magni ſuſtinet Orbis onus.
Seu dextrâ, lævâque ſedent, par gloria utrique,
Par honor, & laus eſt: ſtat benè quiſque loco.

XXVII. Porrò alii in longè diverſam abiere ſententiam. Opinati enim ſunt Sculptorum, Pictorumque hallucinatione, ac imperitiâ morem hunc in Eccleſiam invectum eſſe, nullâque prorsus venerandæ antiquitatis authoritate fulciri. Ita præ cete-

ris *Antonius Caracciolus in ſuâ epiſtolâ apud Allatium, ubi ſupra num.* 3. Hæc tamen opinio paucos habet ſuffragatores, eamque, ut futilem, rejicit idem Allatius. *Cum enim* (ait ipſe) *Iconum iſte ſitus non heri, aut nudius tertius, vel Avorum noſtrorum memoriâ cæperit, ſed multò Petri Damiani antiquiora tempora agnoſcat, ſi errore id Sculptorum, aut Pictorum in Eccleſiam irrepſiſſet, & emendaſſent Summi Pontifices, & Scriptores cauſam hujuſce prælationis tam ſedulò, atque anxiè quærere deſiiſſent. Paris* autem *de Graſſis* apud eumdem Allatium non modò id conſultò factum affirmat, verùm etiam

ejuſ-

ejuſmodi moris originem refe-
rendam putat ad Monachos
S. Benedicti, qui cùm celeberri-
mo Divi Pauli de Urbe Templo
præeſſent, ſuoque Tutelari plus
æquo favere vellent, ipſi dignio-
rem locum aſſignare cæperunt.
Paridis tamen ſententiam in eo,
quod ad hujus conſuetudinis
primordia ſpectat, nequaquam
ſubſiſtere vel ex hoc ipſo Probi
Anicii Sarcophago manifeſtè
colligitur, in quo Paulus ad Pe-
tri dexteram locatus eſt; has
enim imagines, cum ſub exitum
quarti ſeculi ſculptæ fuerint, Be-
nedictinæ familiæ ortum præ-
ceſſiſſe nemo negaverit.

XXVIII. In hac opinio-
num varietate quid ſtatuendum
ſit,

ſit, præſtantioris ingenii judicio relictum velim. Illud tamen ſilentio prætereundum non eſſe arbitror, conſuetudinem hanc ponendi effigiem Pauli ad dexteram Petri in Eccleſiâ non fuiſſe perpetuam, atque conſtantem. Id in primis perſpicuum fit ex antiquiſſimâ Tabellâ S.Silveſtri ævo depictâ, quæ in Baſilicâ Vaticanâ ſummâ cum religione cuſtoditur; in eâ enim Petrus ad dexteram Pauli collocatus aſpicitur. Multa alia conſimilia antiquitatis exempla recenſet *Allatius, ubi ſupra num.8.*, eumdemque ordinem à Nicolao IV. Bonifacio VIII. Nicolao V. Pio II. Sixto IV., & aliis Romanis Pontificibus in collocandis utriuſ-

que

que Apoſtoli ſignis perpetuò obſervatum fuiſſe notavit *Mucantius*. Noſtrâ etiam ætate in Pontificiis numiſmatibus Apoſtolorum capita eâdem planè ſpecie ſemper excudi manifeſtum eſt; quin & in ipsâ Vaticanæ Baſilicæ areâ veteres ſtatuæ marmoreæ SS. Petri, & Pauli ità collocatæ cernuntur,ut hic ſiniſtram, ille verò dexteram partem obtineat. Et quotieſcumque in ejuſdem Baſilicæ Altaribus argentea,vel ænea utriuſque Apoſtoli ſimulacra fidelibus colenda proponuntur, Petrus in dextero, Paulus autem in ſiniſtro latere conſtituitur. Contra verò dum Pontifex Maximus in ipsâ Baſilicâ Sacris ſolemnibus operatur,

ſtatua Petri in ſiniſtrâ, ſtatua verò Pauli in dexterâ parte ponitur, idemque ordo in Pontificiâ Cappellâ ex antiquiſſimo more ſervatur. Inſuper Paulus II., & Avorum noſtrorum memoriâ Paulus itidem V. S. Pauli ſtatuam alicubi à dextris S. Petri locari, aut juſſerunt, aut paſſi ſunt: quod in honorem Apoſtoli, cujus nomen gerebant, feciſſe perhibentur, & de Paulo II. expreſsè tradit *Mucantius*.

XXIX. Hanc autem varietatem & inconſtantiam probabili ratione ſubnixam opinatur *Cardin. Bellarminus*, & per eam ſignificari ait ſummos hos Apoſtolos vel pares eſſe inter ſe, vel certè ignorari, uter alteri

præ-

præſtet. Nam etſi Petrus major fuit poteſtate, Paulus tamen major extitit ſapientiâ: ut eleganter monet *S. Maximus ſerm. ultim. de SS. Petro, & Paulo*: ubi Petro clavem potentiæ, Paulo clavem ſapientiæ traditam eſſe dicit. Hinc *S. Leo* ſerm. 1. de Natali Apoſtolor. *Hos*, inquit, *gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtituerit lumen oculorum: de quorum meritis, atque virtutibus nihil diverſum, nihil debemus ſentire diſcretum, quia illos, & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales*. Eâque fortè ratione Summus olim Pon-

tifex in Natali die SS. Apoſtolorum non in Baſilicâ tantùm Petri in Vaticano, ut hodie, Sacris operabatur, verùm etiam in Baſilicâ Pauli viâ Oſtienſi ſacra vota duplicare conſueverat, teſte *Prudentio hymn.* 12., cum ait.

Tranſtiberina priùs ſoluit ſacra
pervigil Sacerdos.
Mox huc recurrit, duplicat-
que vota.

Quem *Prudentii* locum explicans *Menochius Stromat.par.*4. *cap.*97.hæc inquit.*Pontifex primùm adit Eccleſiam S. Petri, ibique ſolemnia Sacra peragit; mox ad templum S. Pauli pergit, ibidem ſacra vota duplicaturus*. Idipſum de variâ, ac myſticâ imaginum utriuſque Apo-

ſtoli

ſtoli collocatione ſenſiſſe videtur *Petrus Damiani*, dum ait. *Cùm Petrus ad dexteram ponitur, Primatus ejus inter Apoſtolos honoratur; cum verò Paulus, in Beniamin, qui filius dexteræ nuncupatur, redolet ſacramentum*. Itaque, ut *Mucantius* concludit, *nihil Petri dignitati, auctoritati, aut primatui derogatur, cum Paulo dextera tribuitur: nec Pauli mirificæ electioni, ſapientiæ, ac meritis, cum eamdem Petro aſſignamus; ſed & utriſque aptiſſimè convenit, in quo ineſt mirabile inter ipſos æqualitatis myſterium. Quemadmòdum enim, cùm ipſum DeumPatrem ad dexteramFilii eſſe, Propheta ait, divinitatis,*

hu-

humanitatiſque differentiam intelligimus : ità etiam, cùm Petrum Paulo præponimus, Pontificiæ dignitatis culmen; cùm verò Paulum ad Petri dextram collocamus, æqualitatem gloriæ, quâ ob æqualia merita ambo in Cœlis fruuntur, ſignificari rectè dixerimus. Ceterùm quæ de utriuſque Apoſtoli paritate dicuntur, non ità accipienda ſunt, ut conſtituant omnimodam inter eos æqualitatem ſine ſubordinatione, & ſubjectione Sancti Pauli ſub Sancto Petro in poteſtate ſupremâ, & regimine univerſalis Eccleſiæ; hanc enim propoſitionem à Novatoribus magno olim ſtudio propugnatam Innocentius X. P. M.; ut

hæ-

hæreticam, graviſſimo Decreto *edito 24. Januar.* 1647. confixit, damnavitque; ſed jam ad inſtituti noſtri propoſitum, à quo longiùs aberravimus, revertamur.

XXX. In aversâ Sarcophagi parte Imago Probæ Faltoniæ *ad dextram Viri ſui* collocata conſpicitur. Hac fermè ſpecie in ſepulchralibus Romanorum Urnis Uxores paſſim exhibentur, ut advertit *Allatius de Eccl. Occident., & Orient. perpet. conſenſ. lib. 1. cap. 6. num. 24.*, ubi id honori, & in fęmineum ſexum reverentiæ tributum exiſtimat: quâ ratione Matronas Romanas in Severi Imperatoris funere dextrorſum, Senatores

verò ſiniſtrorſum ſtetiſſe *Herodianus* eſt auctor lib.4. Ejus autem honoris origo referenda videtur ad Romuli tempora, ſub quo, ut *Plutarchus* tradit in ejus vitâ, cum pugna inter Romanos, & Sabinos Sabinarum mulierum felici interventione dirempta, & pax deindè inter utrumque populum ſancita fuiſſet, ob præclarum id factum *permulti honores mulieribus habiti ſunt à Romanis, ut his tranſeuntibus viâ cedere, præſente muliere obſcœnum nihil loqui; nec nudum aſpici &c.* Induitur Proba *ſtolâ*, *&* *pallâ*, quod erat conſuetum, & peculiare Matronarum Romanarum indumentum, teſte *Ferrar. de re veſtiar. lib.3. c.23.* eo-

que

que habitu plures antiquas Auguſtarum, aliarumque illuſtrium Fæminarum ſtatuas inſpicere licet in eo volumine, quod *Dominicus de Rubeis* de re literariâ non uno nomine benemeritus nuper edidit, quodque Cl. Vir *Paulus Alexander Maffeus* Eques Ordinis Sancti Stephani eruditis notis illuſtravit, ubi præcipuè de Fauſtinâ minori agens *ſub num.* 17. pallæ, ſtolæque Matronalis formam, & uſum doctè pro more ſuo, ac luculenter exponit.

XXXI. Induitur Probus Anicius *tunicâ*, *pallioque* illi Apoſtolorum conſimilibus, exceptis dumtàxat tunicæ manicis, quæ arctiores apparent. Eo

indumenti genere ſculptum puto, ut argumento eſſet ſuſceptæ ab eo, ſanctèque cultæ Chriſtianæ Religionis, cujus ſectatores, & ii præcipuè, qui perfectioris vitæ ſtudium amplectebantur, per ea tempora pallio uti ſolebant, ut ſupra ex Tertulliano notavimus, & advertit etiam *Macrius in notit. Vocabul. Eccleſiaſt. verbo Pallium.* Eò etiam pertinere crederem *volumen*, ſeu librum in ſiniſtrâ Probi manu poſitum; quo ſacrum aliquem codicem ſignificatum arbitror, cum conſimilis omninò appareat illi, quem Apoſtolus, vel alius ſanctus Vir in dextero Sarcophagi latere ſculptus lævâ manu præfert. Niſi potiùs affirma-

ma-

mare velimus hunc Probi librum eſſe Mandatorum Principis Codicem, qui inter Inſignia Proconſulum, Pręfectorum Prętorio, aliorumque Præſidum provinciarum Romani Imperii numerabatur, *teſte Pancirol. commentar. in notit. Imper. cap. 102. lib. 1., cap. 2., & cap. 47. lib. 2.* eoque Codice eruditum Sculptorem deſignatos voluiſſe ampliſſimos Magiſtratos à Probo ſummâ cum laudè geſtos. Probus, & Proba *complicatas amanter inter ſe dexteras* tenent, ut mutuæ fidei, & conjugalis concordiæ vinculum eo nexu ſignificent; vel potiùs, ut qui, dum viverent, animo, affectuque conjunctiſſimi erant, unum,

idemque ſepulchrum mortuis ſibi ex voto contigiſſe eo habitu, ac geſtu teſtentur. Ita *Aringhus*.

XXXII. *Columbarum*, vel *Turturum* figuris, quæ in orâ ſuperiori Sarcophagi quaquaversùm ſculptæ ſunt, deſignari cum eodem *Aringho* credimus eximiam Probæ erga Virum benevolentiam, ac inſuper incomparabilem ejus pudicitiam, & continentiſſimam viduitatem. *Columba* enim, ut tradit *Pier. Valerian. Hieroglyphic. lib.22.*, apud Ægyptios, & alias item nationes viduæ continentiſſimæ, ac integerrimæ imago erat, & ſymbolum dilectionis; in eâ ſiquidèm alite ſingulare continentiæ exemplum deprehenditur,

tur, quòd marito fidem ſervet inviolatam, nec ipſi notum ſit adulterium. *Turtur* autem, extincto conſorte, perpetuum colere fertur cælibatum; *undè* (inquit idem Valerianus) *plerique continentiſſimam viduitatem exprimere cùm volunt, Turturem in aliquo ramo inſidentem pingunt; ea enim, conjuge vitâ functo, ita ſe ab aliarum volucrum conſortio ſeparat, tantique mæroris exempla exhibet, ut nunquam inde ſocietatem inire cum alio quopiam patiatur, ſed, quod reliquum eſt vitæ, abſque conjuge in perpetuo cælibatu degat, ſola volet, neque in frondeſcenti ramo unquam inſideat, eaque omnia faciat, quæ ad luctum*

ſpectare, & ad viduitatis, ac ſolitudinis mærorem exprimendum aptiſſima vel in homine videantur. Hinc mos apud Hebræos invaluit ex præcepto *Levitic. cap.* 12., ut mulier puerpera, expletis diebus purificationis ſuæ, offerret ad oſtium Tabernaculi teſtimonii, & traderet Sacerdoti par Turturum, aut duos pullos Columbarum: quod (ut *S. Baſilius, ait*) indicium eſſent pudicitiæ, ac vitæ continentis argumentum.

XXXIII. Talibus itaque myſticis, piiſque figuris Probi, & Probæ Sarcophagus decoratus apparet; in quibus adversùs impias Novatorum opiniones habes lector, ut monet *Card.*

Ba-

Baronius, antiquiſſimum ſacrarum Imaginum uſum, Chriſti præſertim, & Apoſtolorum, etiam in ſepulchris exhibitum. Habes inſupèr in calce prioris inſcriptionis, cùm rogatur anima Probi eſſe adjumento Conjugi, atque proli, piam Catholicæ Eccleſiæ traditionem adjuvari viventes precibus defunctorum, uſu receptam, exemplo probatam, ſanctè, religiosèquè antiquitus cuſtoditam.

XXXIV. Jam verò tempus eſt, ut quæ de Probi vitâ, moribus, ac geſtis à probatis authoribus tradita, vel antiquis, certiſque monumentis teſtata comperimus, in medium proferamus. Claruit igitur Probus

Liberio Pontifice, & Conſtantio Imperatore. Patrem habuit Cœlium Probinum T. Petronii Probiani filium Conſulem A. V. 1093. Chr. 341. cum Collegâ Fl. Antonio Marcellino: Præfectum Urbi A. V. 1098., ac iterum A. V. 1103. Chr. 351. teſte *Panvin. in Chron. Eccleſ.*, quem ſequitur *Reineſius Syntag. inſcript. antiq. claſſ.* 1. *num.* 34. *in ſtemmate Anicianæ familiæ*. Sub Conſtantio Proconſulatum Africæ geſſit, & ad ipſum directa eſt *l.* 13. *tit.* 36. *quorum appellation. non recip. lib.* 11. *C. Theodoſ.* data Datiano, ſeu veriùs Titiano, & Cereale Coſs., quorum Conſulatus incidit in A. V. 1110. Chr. 358., ut notat *Pan-*

Panvin. Mox Valentiniano, & Valente imperantibus Præfectus Prætorio conſtitutus eſt; quod munus, ut *Baronio* placet, obtinuit Anno D. 369. illudque diù ſplendidè adminiſtravit *Ammiano teſte lib.* 27., *&* 28. Idem oſtendunt plura eorumdem Imperatorum reſcripta *Probo P. P.* directa *in C. Theodoſ. lib.* 1. *tit.* 6. *de offic. rector provinc. lib.* 10. *tit.* 2. *de locatione fundor.*, *&* *tit.* 19. *de Metall.*, *&* *Metallar. lib.* 11. *tit.* 1. *de annon.*, *&* *tribut.*, *&* *tit.* 13. *ſi per obreption.* Rexit autem Probus, ut Præfectus Prætorio, cum ampliſſimâ, ſummæque proximâ poteſtate Italiam, Illyricum, Africam, & Gallias, ut Inſcriptiones, quas in-

inferiùs dabimus, apertè teſtantur, & monet etiam *Claudianus*, licet Gallias omiſerit, *in panegyric. de Probin.*, *&* *Olybr. Conſulat.* his verſibus.

Acta Probi narrare queam, quot in ordine gentes
Rexerit, ad ſummi quoties faſtigia Juris
Venerit; Italiæ latè cum fræna teneret,
Illiricoſque ſinus, & quos arat Africa campos.

XXXV. Dum Præfectus Prætorio Italiam regeret, illud Probo ſanè memorabile contigit, quod Rectorem Inſubriæ, Liguriæ, & Æmiliæ delecturus, eas provincias Ambroſio Romano Civi, quem noverat eru-

ditio-

ditione præclarum, eloquentiæ ſtudiis egregiè excultum, optimiſque compoſitum moribus, cum inſignibus Conſularibus tradidit gubernandas, eumque in Provincias proficiſcentem ad optimi regiminis ineundam rationem illis verbis, quaſi divinans, hortatus eſt: *vade, age, non ut Judex, ſed ut Epiſcopus.* Quod vaticinium exitus mirabiliter confirmavit; nam Ambroſius in eo officio ad Mediolanenſis Eccleſiæ regimen, cui diù ſanctiſſimè præfuit, flagitante populo, & Valentiniano Cæſare cohortante, licet invitus, aſſumptus eſt, ut habetur ex *Paulino in illius Vitâ, & ex lectionibus Breviar. Roman. Reineſius*

loc.

loc. cit, ejuſque ſectator *Thomas de Simeonibus in ſuâ eruditâ Diſſertatione de duabus Probis*, Probum noſtrum fuiſſe opinantur Vicarium Africæ anno Chr. 340., illique directam autumant ab Imperatore Conſtantio *l. 3. Cod. Theodoſ. de Advocat. Fiſci. Acindyno, & Proculo Coſs.* Verùm temporis ratio repugnat: allegata Lex non Probo, ſed Petronio Vic. Afric. directa legitur, quo nomine ponitur etiam in ſerie Vicariorum Africæ à *Pancirolo in notit. Imp. Occident. cap. 65.* nec inter titulos ampliſſimarum dignitatum, à Probo geſtarum, qui in inſcriptionibus explicantur, Vicariatus Africę nominatur; quamòbrem

brem Petronium hunc Africę Vicarium alium profectò à Probo noſtro cenſendum puto.

XXXVI. Geſſit etiam Probus Conſulatum unà cum Gratiano Auguſto A.V. 1123., qui fuit Chriſti 370., ut habetur ex *Caſſiodor. in Chronic.*, *&* *ex Panuin. in Faſtis Conſular. lib.* 3., *&* *in Commentariis ejuſdem anni*, ubi hęc ait. *Anno* 1123. *Gratiano Auguſto iterùm, & Probo Coſs.* & paulò poſt: *Quorum alter eſt Gratianus Auguſtus iterùm, alter verò eſt Vir omnium privatorum maximus, atque poſt Auguſtos primus, Sext. Petronius Probus.* Inſignes in Urbe ędes habuiſſe illud à *Secundino* dictum inſinuat in ſuâ

epi-

epiſtolâ ad *Auguſtin.* relatâ inter oper. ejuſd. *Sancti* tom. 8. edition. Pariſien. *Ego namque fateor non tali diligentiâ, nec tantâ induſtriâ Anicianæ domus micare marmora, quantâ tua ſcripta perlucent eloquentiâ.* Illud inſupèr Probi ſummum in Urbe ſplendorem perſpicuè declarat, quod *Paulinus* prodidit in proximè citatâ Vitâ S. Ambroſii: *duos ſcilicet potentiſſimos, ac ſapientiſſimos Perſici Regni Viros per ea tempora in Italiam veniſſe, ut Ambroſii ſapientiam experirentur, & potentiam Probi ſpectarent.* Porrò, quod ad illius dignitatem, & mores attinet, hęc *Ammianus* pręcipuè tradit *lib.* 27.

Per

Per hæc tempora Vulcatio Ruſino abſoluto vitâ, dum adminiſtrat, ad regendam Præfecturam Prætorianam ab Urbe Probus accitus, claritudine generis, & potentiâ, & opum amplitudine cognitus Orbi Romano, per quem univerſum penè patrimonia ſparſa poſſedit, juſtè, an ſecus, non judicioli eſt noſtri. Hunc quaſi gemina quædam (ut poetæ fingunt) fortuna præpetibus pennis vehens, nunc beneficum oſtendebat, & amicos altiùs erigentem, aliquotiens inſidiatorem dirum, & per cruentas noxium ſimultates. Et licèt potitus, quoad vixit, ingentia largiendo, & interpellando, poteſtates adſiduas, erat tamen interdùm ti-

midus ad audaces, contrà timidos celſior: ut videretur, quùm ſibi fideret, de cothurno ſtrepere tragico, & ubi paveret, omni humilior ſocco, atque, ut natantium genus elemento ſuo expulſum haud ita diù ſpirat in terris, ita ille marcebat abſque Præfecturis, quas ob jurgia familiarum ingentium capeſſere cogebatur, nunquam innocentium per cupiditates immenſas, utque multa perpetrarent impunè, Dominum ſuum mergentium in Rempublicam. Namque fatendum eſt, numquam illâ magnitudine coalitus clienti, vel ſervo agere quidquam juſſit illicitum. Sed ſi eorum quemquam crimen ullum comperer at admi-

mi-

miſiſſe, vel ipsâ repugnante juſtitiâ, non explorato negotio, ſine reſpectu boni, honeſtique defendebat. Quod vitium reprehendens ita pronunciat Cicero. Quid enim intereſt inter ſuaſorem facti, & probatorem? Aut quid refert utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? *ſuſpicioſus tamen, & minutus ſuopte ingenio fuit, & ſubamarum arridens, blandienſque interdum, ut noceat: (id autem perſpicuum eſt in ejuſmodi moribus malum, & tum maximè, quùm celari poſſe exiſtimatur) ita implacabilis, & diruptus, ut, ſi lædere quemquam inſtituiſſet, nec exorari poſſet, nec ad ignoſcendum erroribus inclinari: ideòque au-*

res ejus non ceris, ut pluribus videbantur, obſtructæ: in ſummis divitiarum, & dignitatum culminibus anxius, & ſollicitus, ideòque ſemper levibus morbis adflictus. Acriùs prætereà in Probi mores invehitur idem Scriptor lib.30. ubi hæc ait. *Solùm tamen* (Valentinianus) *incitato petebat odio Probum, nunquam, ex quo eum viderat, minari deſinens, vel miteſcens: cujus rei cauſſæ nec obſcuræ fuerunt, nec leves. Hic Præfecturam Prætorio tunc primitùs nactus, eamque multis, atque utinam probabilibus modis, in longum proferre geſtiens, non ut proſapiæ ſuæ claritudo monebat, plus adulationi, quàm vere-*

re-

recundiæ dedit. Contemplatus enim propoſitum Principis, quærendæ undique pecuniæ vias abſque juſtorum, injuſtorumque diſcretione ſcrutantis, errantem non reducebat ad æquitatis tramitem, ut ſæpe moderatores fecere tranquilli, ſed ipſe quoque flexibilem ſequebatur, atque tranſverſum. Undè obedientium caſus, exitialia proviſorum nomina titulorum juxta opulentas, & tenues enervatas ſuccidere fortunas, argumentis poſt aliis validioribus aliis, uſu lædendi reperiente longævo. Denique tributorum onera, vectigaliumque augmenta multiplicata, Optimatum quoſdam ultimorum metu exagitatos mutare compulerunt

ſedes: & flagitantium miniſtrorum amaritudine quidam oppreſſi, quùm non ſuppeteret, quod daretur, erant perpetui carcerum inquilini: è quibus aliquos, quum vitæ jam tæderet, & lucis, ſuſpendiorum exoptata remedia conſumpſerunt. Hunc tamen Probum, de quo *Ammianus* loquitur *lib.* 30., à Probo noſtro Præfecto Prætorio quater, & Conſule, de quo priùs meminerat *lib.* 27., alium omninò, ac diverſum putandum eſſe: & Illyricum, Occidentale nimirum, quod Præfecto Prætorio Italiæ ſuberat, tum peculiarem Præfectum rexiſſe opinatur *Reineſius*. Cujus ſententiæ favet *l. ſi qui eorum tit.* 11. *lib.* 11. *ne*

dam-

damna Provinc. inflig. C. Theodoſ. quæ ab Impp. Valentiniano, & Valente directa legitur Probo Præfecto Prætorio Illyrici. Verùm ſive duo fuerint Probi coætanei, ex præclarâ ambo familiâ geniti, ut cenſet *Reineſius*, ſive unus tantùm, ac idem extiterit, ut conſtanter affirmat *Vinetus in notis in Auſon. epiſt.* 3. *num.* 419. ethnicum hunc Scriptorem, dum multa Probi noſtri vitia memorat, culpatque, ſibi potiùs, quàm veritati obſecutum fuiſſe, firmitèr opinamur. Id in primis perſuadet authoritas *Boſii*, *Aringhi*, & *Morerii Dictionar. Hiſtoric.*, qui Probi noſtri morum innocentiam, & animi integritatem ſummis efferunt lau-

dibus. Idem profectò ſentit etiam *Baronius*, qui *tom.* 4. *anno* 395. *fol.* 716. de Probo hæc ait. *Porrò (quod majus exiſtimari debet) unà cum nobilitate, opum affluentiâ, atque ampliſſimomorum Magiſtratuum ſplendore, egregias conjunctas habuit cum Chriſtianâ Religione virtutes.* Quibus authoribus ſuffragatur teſtimonium planè luculentum *Auſonii*, qui Probi σύγχρονος contemporaneus fuit, & ad ipſum ſuum Apologorum libellum miſit, ut palam ſit ex ejus *epiſt.* 16., ubi Probi laudes eximiè celebrans, quod ad rem noſtram attinet, eum, ut ſui nominis Virum, eleganter deſcribit his verſibus.

Age

Age vera proles Romuli:
Effare cauſam nominis,
Utrumne mores hoc tui
Nomen dedere: an nomen hoc
Secuta morum regula?
An ille venturi ſciens
Mundi ſupremus arbiter,
Qualem creavit moribus,
Juſſit vocari nomine?
Nomen datum præconiis,
Vitæque teſtimonio.

Multò tamen meliùs *Ammiani* calumniam abſtergit *Claudianus*, quamvis & ipſe ethnicus, in *Panegyrico de Probin.*, *&* *Olybr. Conſulat.*, ubi de Probo noſtro jam, ut ex illius verbis coniicitur, defuncto perhonorificè loquitur his verſibus.

Vi-

Vivit adhuc, completque magis ſermonibus aures
Gloria fuſa Probi, quam nec ventura ſilebunt
Luſtra, nec ignota rapiet ſub nube vetuſtas.

& paulò infra ejus virtutes explicans ait

Virtutibus ille
Fortunam domuit, nunquamque levantibus altè
Intumuit rebus: ſed mens circumflua luxu
Noverat intactum vitio ſervare vigorem.
Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes: ſed largior imbre

Sue-

Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat: populis undare penates,
Aſſiduos intrare inopes, remeare beatos:
Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos,
Aurea dona vomens &c.

Hæc inſignis Poeta, qui eâ tempeſtate floruit, de Probi laudibus cecinit, cum quibus planè conſentiunt, quæ de ejuſdem Viri probitate, fide, pietate, animi magnitudine, aliiſque egregiis virtutibus in utroque Epitaphio explicantur.

XXXVII. De eodem Probo apud *Baronium tom.4., pag. 716.* & *Gruterum Inſcript.* 450. 2. hæc legitur Inſcriptio in baſi ſtatuæ poſita, quam anno 395. duo ejus filii, Probinus ſcilicet Conſul, & Probus Quæſtor Candidatus eidem dedicarunt. Proſtabat ipſa marmorea baſis ætate Baronii in ædibus Cæſiis propè Baſilicam Vaticanam; nunc autem ibidem ampliùs non extat, & aliò translata creditur.

SEXTO PETRONIO PROBO V̄. C̄.
PROCONSULI AFRICÆ
PRÆFECTO PRÆTORIO
QUATER ITALIÆ ILLYRICI
AFRICÆ GALLIARUM
CONSULI ORDINARIO
PATRI CONSULUM
ANICIUS PROBINUS V̄. C̄.
CONSUL ORDINARIUS

ET

ET ANICIUS PROBUS V̄. C̄.
QUÆSTOR CANDIDATUS
FILII MUNUS SINGULARI
RELIGIONI
DEBITUM DEDICARUNT.

Sed & aliam illi ſtatuam eodem anno dedicarunt Olybrius Conſul filius, & Juliana Olybrii conjux, in cujus baſi, quæ etiamnùm proſtat in atrio Cæſianę domus, hęc Inſcriptio legitur.

SEXTO. PETRONIO. PROBO.
ANICIANÆ DOMUS
CULMINI PROCONSULI
AFRICÆ. PRÆFECTO
PRÆTORIO QUATER
ITALIÆ. ILLYRICI. AFRI
CÆ. GALLIARUM. CON
SULI ORDINARIO. CON
SULUM PATRI. ANICIUS
HERMOGENIANUS
OLYBRIUS. V̄. C̄. CONSUL
ORDINARIUS. ET ANI

CIA JULIANA C. F. EJUS
DEVOTISSIMI FILII
DEDICARUNT.

Hæc autem Inſcriptio, & alia inferiùs proponenda, in quibus Olybrius, & Juliana devotiſſimi filii Probi, & Probæ nuncupantur, *Baronium* olim in eam adduxere ſententiam, ut Juliana verè extiterit filia Probi, & Probæ, adeòque ſoror Olybrii, de cujus filiatione non ambigitur. Cui quidem opinioni addictus magnus Eccleſiaſticorum Annalium Parens *tom.* 4. *ann.* 395. & *tom.* 5. *ann.* 410. ac rurſus in Notis ad *Martyrolog. Roman.* 7. *Februarii lit. g.* Julianam hanc Probæ filiam, & Probam Julianæ matrem aſſerere, quin etiam eidem

dem Julianæ Q. Clodium Hermogenianum Olybrium conjugem aſſignare non dubitavit. Verùm poſtmodùm errore comperto ex iis, quæ SS. Hieronymus, & Auguſtinus de utraque muliere, itemque de Anicio Hermogeniano Olybrio Julianæ Viro perſpicuè tradiderunt, ſententiam mutavit, & quæ perperam ante ſcripſerat, ingenuè corrigens in appendice, quam edidit poſt decimum tomum, Julianæ legitimum Virum reſtituit Anicium Hermogenianum Olybrium, ipſamque Julianam non filiam, ſed nurum Probæ, Probam verò non matrem, ſed ſocrum Julianæ fuiſſe delucidè explicavit. Quamobrèm inepta

pror-

prorſus exiſtimanda eſt cenſura *Reineſii in Syntagm. Inſcript. antiqu. claſſ.* 1. *num.* 39. *lit. F.*, ejuſque ſectatoris *Antonii Pagi in Criticâ Annal. Baron. ad ann.* 395. *num.* 3. qui inſignem Authorem, ubi etiam aliquid humani patitur, non ſine honoris præfatione nominandum, manifeſti erroris arguere voluerunt, quandò potiùs emiſſam ab eo retractionem, eximiumque veritatis ſtudium, quod *Baronius* ſemper ultrò profeſſus eſt, ornare laudibus debuiſſent. Illud tamen, quod *Baronius* in eadem appendice, ut incertum, & adhuc quærendum admonuit: quænam ſcilicet fuerit illa Juliana, quæ in memoratis Inſcriptionibus dici-

tur

tur filia Probæ, *Reineſius* benè explicaſſe viſus eſt, dum ait non aliam eſſe ab ipsâ Julianâ Probę nuru, conjuge Olybrii, ipſumque Olybrium non eſſe diverſum à Viro ejuſdem Julianę, licet ambo devotiſſimorum filiorum nomine inſcribantur, *cùm vocabulo filii* (inquit ille) *ibi maritus, quippe naturâ filius, & uxor, ſeu nurus ſignificentur, non frater, & ſoror geniturâ.* Reineſii judicium ſecutus eſt *Thomas de Simeonibus in ſuâ Diſſertatione de duabus Probis* §. 6. ubi ejuſmodi appellationis cauſam inquirens hæc ait: *quod equidem ego eximio Anicii Hermogeniani Olybrii amoris argumento erga dilectiſſimos Pa-*

rentes tribuendum reputo, quaſi non tantùm ſe ab eis genitum, verùm etiam Uxorem, tanquam ab eiſdem ſibi partam, devotiſſimorum filiorum titulo licentiâ maritali ei communicato, voluit in filialis obſequii cenſum venire. Fortè tamen aptiùs id explicaretur, ſi diceretur ideò Julianam, quamvis nurus eſſet, dulce filiæ nomen in utraque Inſcriptione uſurpare voluiſſe, ut oſtenderet ſe filiali planè affectu, pietate, ac reverentiâ, Viri ſui parentes colere, & obſervare, perindè ac ſi ab ipſis genita foret: quod noſtrâ etiam ætate uſitatum cernimus, quâ paſſim audire licet nurus ſocero, & ſocrui patris, & matris appel-

la-

lationem amoris, vel obſequii gratiâ deferentes.

XXXVIII. Ceterùm quoto Æræ Chriſtianæ anno Probus mortalitatem expleverit, haud ſatis compertum eſt. Illud tamen certum habetur ipſum non modò vixiſſe, verùm etiam Præfectum Prætorio fuiſſe Italiæ, Illyrici,& Africæ anno 383. quod manifeſtè colligitur *ex l.*1. *privilegia tit.*13. *ſi per obreptionem lib.* 11. *C. Theodoſ.* Probo P. P. directa ab Impp. Gratiano, Valentiniano Jun., & Theodoſio Sen., Merobaude iterùm, & Saturnino Coſs., qui Conſulatum geſſerunt eodem anno 383. teſte *Caſſiod. in Chronic.*, & *Panvin. lib.* 3. *Faſtor.* ubi hæc

ait. *Anno* 383. *Merobaudes* II. *Conſul fuit in Occidente, Saturninus verò in Oriente*. Illud inſuper, ut certum, affirmari poſſe crederem, Probum ante annum 395., quo Olybrius, & Probinus filii Conſulatum injerunt, vivere deſiiſſe. *Claudianus* enim, qui, ut innuimus, panegyricum carmen ſcripſit in utriuſque Conſulatum, dum Probi patris laudes celebrat, de ipſo, veluti jam ab humanis exempto, loquitur, ut ſuperiùs allata ejuſdem Poetæ carmina, & alia plura, quæ ſequuntur, perſpicuè oſtendunt. Id ipſum ſuadetur etiam ex Epitaphio Probi ſepulchro inſcripto, in quo nulla Conſulatus filiorum mentio habetur, ſicu-

ſicuti habetur Avi eo verſu.

Faſcibus inluſtris, Conſule dignus Avo.

Quod certè ſilentio prætereundum non erat, ſi Probus, filiis jam Conſulibus, deceſſiſſet. Illud autem ſepulchrales tituli nos docent eum baptizatum fuiſſe proximè moriturum; quod non ità intelligendum putat Boſius, quaſi Probus Chriſtianis ſacris initiatus fuerit jam ſenior, cùm exploratum ſit Anicianam familiam, antequàm ipſe naſceretur, Chriſto nomen dediſſe; ſed ita potiùs accipiendum, ut ſacro latice ſtatis ab Eccleſiâ publicis cæremoniis tingi diſtulerit uſque ad ſenium, pro receptâ illis temporibus tum per Occi-

dentem, tum etiam per Orientem conſuetudine rejiciendi Baptiſmi Sacramenti ſolennem ſuſceptionem ad provectiorem ætatem; quem deinde morem *Auguſtinus*, *Ambroſius*, *duo Gregorii Nazianzenus*, *&* *Nicænus*, aliique veteres Sancti Patres omninò abolendum curarunt.

XXXIX. In eodem *Sarcophago* Probam quoque Probi Uxorem cum Viro fuiſſe conſepultam *Boſius*, *&* *Aringhus*, ut omninò certum, affirmant, ad id opinandum adducti ex illis ſepulchralis Inſcriptionis carminibus

Hoc Proba ſortita eſt; jungat ut urna pares.

Di-

Digno juncta viro; digna ſimul tumulo.

eamque opinionem nos etiam libenter amplectimur, & ex iis, quæ inferiùs diſſerentur, ſatis probabilem arbitramur.

XL. Prodiit autem hæc ſpectatiſſima Fœmina (ut de illius genere, & vitâ aliquid attingamus) ex eâdem, quâ Probus Vir, Anicianâ Familiâ, ſicuti veterum lapidum monumenta infrà ſubiicienda teſtantur, in quibus ſemper Anicia Faltonia Proba nuncupatur. Ad ipſam Anicianam gentem pertinebat Faltonia Familia, cujus prænomen additum Probæ legitur, teſte *Reineſio*, cujus ſententiam confirmat ſequens In-

ſcriptio *à Grutero* allata *folio* 1025. 6.

C. ANICIO. FALTONIO. CLAR. VIRO. VIX. ANN. XXXVI. M. VIII. D. VIII.
C. ANICIO. C.F. FALTONIO. FRONTONI. VIX. ANN. XVIII. MEN. VI. HOR. VIII.
M. ANICIVS. M. P. QVIR. PROBVS. II. K. OCTOBR. M. AVRELIO. SEVERO. II. ET. T. CLAVDIO: POMPEIANO. COS.

Hi autem Conſulatum geſſere imperante Marco A. V. 927. Chr. 174., ut notat *Panvin. in Commentar. Faſtor. Conſular.* Collocantur Faltones *à Streinnio de Gent., & Famil. Roman.* in tertiâ ex quatuor familiis, in quas dividit antiquiſſimam, ac nobiliſſimam gentem *Valeriam*

ex

ex Sabinis oriundam, & ad Urbem translatam, cùm Romulus Tatium Sabinorum Regem in imperii ſocietatem adſcivit. Ex eâ ſanè familiâ prodiere Q. Valerius Falto Conſul cum C. Mamilio Turrino A. V. 516., & P. Valerius Falto Conſul cum T. Sempronio Graccho ſequenti anno 517., ut ex Faſtis Conſularibus habetur. Hinc fortè profecta Faltonia propago, quæ Anicianæ genti inſerta Probæ noſtræ genus, & nomen dederit. Eidem Probæ *Reineſius* Patrem aſſignat Anicium Probum Proconſulem Africæ ann. Chriſt. 358., ad quem ſcriptam aſſerit *l.* 13. *C. Theod. - quorum appellationes - Datiano, & Cereale*

Coſs.

Coſs. Hunc tamen non Patrem, ſed Virum Probæ fuiſſe conſtanter exiſtimo, ut ſupra notavi; certè Anicii Probi appellatio illius Conjugi magis, quam Patri convenit, qui Faltoniæ familiæ prænomine conſignari debuiſſet, ut Proba filia. Temporis etiam ratio conſentit: nam Probus Vir ſub Valentiniano, & Valente anno Chr. 369. Præfectus Prætorio conſtitutus fuit, ut notat *Baronius*, cujus opinionem probabiliorem arbitror, quàm *Reineſii* ſcribentis Probum à Magnentio Præfectum Prætorio Italiæ conſtitutum fuiſſe anno 351., nullo tamen producto teſte. Veriſimile autem eſt ipſum plures ante annos in mi-

minoribus Magiſtratibus fuiſſe verſatum; adeòque nil obſtat, quin Proconſulatum Africæ, quem ab eo geſtum fuiſſe certiſſimum eſt, adminiſtrare potuerit circa annum 358. Illud prærereà ſententiam noſtram non modò tuetur, ſed etiam, ni fallimur, extra controverſiam ponit, quod in unâ ex duabus antiquis Inſcriptionibus certiſſimę fidei inferiùs proponendis Proba Conſulis filia, in alterâ Conſulum proles indigitatur; nuſquam verò conſtat Anicium hunc Probum, qui Probæ pater aſſeritur, Conſulatum geſſiſſe: neque id incompertum eruditiſſimo *Reineſio*, qui proindè hunc ipſum Anicium Probum, quem Probæ pa-

patrem facit, Africæ tantùm Proconſulem appellat. Quis itaque Probæ Pater extiterit, non adhuc ſatis exploratum opinor. Certum tamen eſt eam fuiſſe Conſulis Filiam, Conſulis Uxorem, & Conſulum Matrem: nam tres illius filii, Olybrius, Probinus, & Probus ob illuſtria Patris in Romanum Imperium promerita cum generis claritudine conjuncta adhuc adoleſcentes Conſulatum adepti ſunt: Olybrius ſcilicet, & Probinus A. Chr. 395. ut ſupra innuimus, Probus autem Ann. 406. cum Collegâ Imp. Fl. Arcadio Aug. VI., quod *Faſti Conſulares*, *&* *Claudiani Panegyris* palam faciunt.

Porrò

XLI. Porrò qualis, quantaque fuerit Proba noſtra, ex Sanctorum Patrum elogiis in primis compertum habetur. De ipsâ hæc ait *S. Hieronymus* in epiſt.8. ad Demetriad. *Proba illa omnium dignitatum, & cunctæ nobilitatis in Orbe Romano nomen illuſtrius, cujus ſanctitas, & in univerſos effuſa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit: quam trium liberorum Probini, Olybrii, & Probi non fatigarunt ordinarii Conſulatus.* Hæc Hieronymus, qui ſubindè prolixè memorat quantas ærumnas in Urbis excidio Proba pertulerit, cum Gothi magnificentiſſimas illius ædes diripuerunt, cremaruntque. Hanc

ipſam

ipſam *S. Auguſtinus* religione venerandam, generiſque claritudine, & opum affluentiâ inſignem appellat, cum ab eâ rogatus ad eam ſcripſit epiſtolam *de orando Deo*, quæ habetur in ordine 130. *tom.2. oper. ejuſd. Author. edition. Pariſien.* Ad illam inſuper ſcripſit epiſtolas 131., & 150., in quibus multa, & quidem egregia de Probæ, ejuſque familiæ laudibus interſerit. Laudat etiam Probam *S. Joannes Chryſoſtomus epiſt.* 168., quòd ſuę communionis homines Conſtantinopoli Romam profugos domo exceperit, ac benignè habuerit, eique Legatos ad Urbem à ſe miſſos, dum Arabiſſi exularet, impensè commendat. Præ-

cla-

clarum autem piæ liberalitatis hujus egregiæ Fœminæ documentum habetur in epiſtolâ *S. Cæleſtini I.* Pontificis ad Theodoſium juniorem ſcriptâ, & à *Baronio relatâ ſub ann.* 432. *tom.*5.*pag.*611. cujus verba ſunt ejuſmodi. *Illuſtris, & ſanctæ recordationis Proba poſſeſſiones in Aſiâ conſtitutas longâ à Majoribus vetuſtate ſic reliquit, ut majorem ſummam redditiuum Clericis pauperibus, & Monaſteriis annis ſingulis præciperet erogandam: ſed hæ poſſeſſiones ibidem conſtitutæ in damnum pauperum hujus negligentiâ* (ut gravius nihil dicamus) *qui his præfuerat, eâ ſunt ratione tractatæ, ut non ſolùm conſueta non ſol-*

ſolverent, verùm etiam ſubreptitiâ impetratione earum juſtum dominium violetur. Rogamus pietatem veſtram, ut religioſæ, & illuſtri Domui, & Eccleſiæ id pro Clementiâ veſtrâ præſtetis, ut omnis ab his inſidiantium inquietudo diſcedat, ut tam Eccleſiæ, quàm ſuis Dominis ſit tuta poſſeſſio. Quod indè alimoniæ pauperum acquiritur, veſtrum eſſe credetur. Hactenùs epiſtola Cæleſtini. Sed ne à noſtris dumtàxat Chriſtianæ Fœminæ laudes celebratas fuiſſe putes, accipe quæ in illius commendationem ethnicus Poeta *Claudianus* cecinit *in Panegyr. de Conſulat. Olybr., & Probin.*

Sic

Sic Proba præcipuo natos exornat amictu,
Quæ decorat mundum, cujus Romana poteſtas
Fœtibus augetur: credas ex æthere lapſam
Stare pudicitiam, vel ſacro thure vocatam
Junonem Inachiis oculos advertere Templis.
Talem nulla refert antiquis pagina libris,
Nec Latiæ cecinere tubæ, nec Græca vetuſtas,
Conjuge dignâ Probo: nam tantùm cœtibus extat
Fœmineis, quantùm ſupereminet ille Maritos.

XLII. Romæ in ædibus Cæſiis apud Baſilicam Vatica-

nam ætate Baronii tres ſpectabantur baſes marmoreæ, nunc aliò translatæ, quibus veriſimile eſt totidem impoſitas fuiſſe ſtatuas in honorem Probæ ab illius filiis erectas, ut Inſcriptiones in ipſis baſibus ſculptæ legentem edocebant. Eas ex eodem *Baronio tom.4.fol.721.*, *Grutero Inſcript.450.*, aliiſque recentioribus, à quibus vulgatæ ſunt, repetere, & hìc inſerere libet. In primâ igitur baſi in ſummâ illius orâ hi verſus brevioribus characteribus ſculpti erant.

Conſimiles fratrum trabeis geſtamina honorum
Tertia, quæ dederat, addidimus titulis.

Di-

Dilectæ Probus hæc perſoluit
munera Matri,
Reſtituens ſtatuis præmia,
quæ dederat.

Mox ſequebatur Inſcriptio majoribus literis exarata.

ANICIÆ. FALTONIÆ.
PROBÆ. AMNIOS, PINCIOS.
ANICIOSQUE. DECORANTI.
CONSVLIS. VXORI.
CONSVLIS. FILIÆ.
CONSVLVM. MATRI.
ANICIVS. PROBINVS. V̄. C̄.
CONSVL. ORDINARIVS.
ET. ANICIVS. PROBVS. V̄. C̄.
QVÆSTOR. CANDIDATVS.
FILII. DEVINCTI.
MATERNIS. MERITIS.
DEDICAVERUNT.

In alterâ verò baſi ſequens Inſcriptio legebatur.

ANICIÆ. FALTONIÆ.
PROBÆ. FIDEI. NOBILITA
TIS. ANTIQVÆ. ORNA.
MENTO. ANICIANÆ.
FAMILIÆ. SERVANDÆ. ET.
DOCENDÆ. CASTITATIS.
EXEMPLO. CONSVLVM.
PROLI. CONSVLVM. MATRI.
ANICIVS. HERMOGENIANVS.
OLYBRIVS. V̄. C̄.
CONSVL. ORDINARIVS.
ET. ANICIA. JULIANA. C. F.
EJUS. DEVOTISSIMI. FILII.
DEDICAVERUNT.

In tertiã demum baſi hæc poſita erat Inſcriptio.

ANICIÆ. FALTONIÆ.
INLVSTRISSIMÆ. ET.
SANCTISSIMÆ.
CASTISSIMÆ. FEMINÆ.
HERMOGENIANVS. OLYBRIVS.
V. C. CONSVL. ORDINARIVS.
ET. ANICIA. JVLIANA. C. F.
D. D.

Bi-

Binas alias Inſcriptiones ad Probam, Probumque Virum, & Olybrium, Probinumq. filios pertinentes vulgavit *Urſatus in monum. Patavin. lib.* 1 *ſect.* 6 *num.* 3. ex duabus æneis tabulis in ædibus Jacobi Philippi Thomaſini Æmoniæ Epiſcopi aſſervatis, quas hìc ſubjicere libet.

PETRONI PROBI V C ET ANNICIE PROBE C F	ANICIIS OLYBI ET PROBINI V V C C

Quibus in tabulis notanda eſt, ut monet *Urſatus*, ruditas, ac imperitia ſeculi, cùm nulla adſit interpunctio, quâ nomina, & ſingulares literæ diſtinguantur, atque Annicie Probe pro Aniciæ Probæ ponatur: mendum

prætereà fabrile: nam Olybrii, non autem Olybi ſcribendum erat.

XLIII. Jam verò, ut ea, quæ de Probi, Probæq. familiâ hucuſque tradita ſunt, magis etiam perſpicua fiant, operæ pretium fuerit hìc illius ordinatam ſeriem exhibere eâ planè ſpecie, quâ ipſam *Reineſius*, & *Thomas de Simeonibus* ediderunt, rejectis tamen incertis, iiſque tantùm admiſſis, quæ manifeſtis documentis teſtata reperiuntur. Hoc itaque ordine ſeriem genituræ concipimus.

Coelius Probinus *Conſ.* cum Collegâ Fl. Antonio Marcellino Ann. Chriſt. 341. ex Panvin. in Chron. Eccleſ. *Præfect. Urb.*

Ann.

Ann. Chr. 346. & iterùm Ann. 351. ex Panvin. Hujus *filius* fuit.

Sextus Anicius Petronius Probus *Proconſ. Africæ* Ann. Chr. 358. *Prefect. Pret.* Italiæ, Illyrici, Africæ, & Galliar. ab Ann. Chr. 369. *Conſ.* cum Collegâ Imp. Gratiano Aug. iterùm Ann. Chr. 371. *Notandum tamen monemus Sextum hunc Anicium Petronium Probum in Faſtis* Panvini *vocari filium Sexti: inſupèr Anicium Probum Coſ. Ann. Chriſt.* 406., *de quo infra, ibidem appellari Sexti filium, Sexti nepotem; unde colligitur Cœlium Probinum nuncupari Sextum debuiſſe; quod prænomen à* Reineſio, & Thoma *de*

Simeonibus prætermiſſum nos quoque, qui eos, quantum licet, in hac ſerie ſequi profitemur, omiſimus. Uxor hujus fuit.

Anicia Faltonia Proba, cujus pater nobis hactenùs incompertus. *Eam Reineſius filiam putat Anicii Probi Proconſ. Africæ ann. Chr. 358., & materteram Aniciæ Julianæ, Olybrii filii ſui conjugis. Verùm hic Probus non Pater, ſed Vir Probæ fuit, ut antè monuimus. Conſulis tamen filiam fuiſſe Probam Inſcriptiones proximè allatæ docent: ſed quod nomen illius Patri fuerit, nulla ex Faſtis Conſularibus lux affulget.* Ex eâ, & Probo nati tres filii; *Primogenitus* fuit.

Ani-

Anicius Hermogenianus Olybrius Coſ. ann. Chr. 395., ut ſuperiùs dictum eſt. *Hic Vir extitit Aniciæ Julianæ, de qua multa ante, pluraque proximè dicturi ſumus. Ex eâ filiam ſuſcepit S.* Demetriadem *Virginem, quæ, S. Auguſtino authore, votum perpetuæ Virginitatis emiſit. Hujus Pater Olybrius obiit ſub ipſam Vrbis direptionem ab Alarico Gothorum Rege illatam A. Chr.* 409. *ex Hieronym. epiſt. ad Demetriadem, ubi loquens de Probâ ejus Matre ait:* Vix Barbarorum effugerat manus, & avulſas de complexu ſuo Virgines fleverat, cùm ſubitò intolerabili (*quod numquam timuerat*) amantiſſimi filii ſui orbi-

orbitate percutitur &c. *& alibi eum morte ſuâ felicem appellat, quia* non vidit Patriam corruentem: *non dixit collapſam, vel collapſuram, ſed collabentem, ut ſub ipſam Alarici devaſtationem mortuum deſignaret.* Secundogenitus fuit.

Anicius Probinus *Coſ.* cum fratre Olybrio A.Chr.395. quem ab humanis ereptum vivente adhuc Matre, ſed poſt captam Urbem profugâ, tradit *Reineſius* ex Hieronymo. *Tertiogenitus fuit.*

Anicius Probus *Quæſtor Candidatus* in adductis lapidibus inſcriptus, & poſteà *Coſ.* Ann. Chr. 406. cum Collegâ Imp. Arcadio VI. ex *Panvin.*

in

in Chronic., *& Faſt.*

XLIV. Non levem olim Probæ noſtræ conflavit invidiam, quod *Procopius* tradit *lib.* 1. *Bell. Vandal.* his verbis. *Non ita potitum Romà Alaricum nonnulli memorant; ſed fœminam, cui nomen* Probæ, *& quæ in ordine Senatorio opibus, ac ſplendore nominis præcellebat, miſeratam Romanos fame, & omni ærumnarum genere tabeſcentes, jamque mutuâ inter ſe veſcentes carne, cùm ſpem illis reliquam eſſe nullam videret, obtinente amnem, & portum hoſte, famulis præcepiſſe ferunt, ut portas noctu reſerarent.* At ejuſmodi fabellam de proditione Urbis à Probâ perpetratâ, ut in

pote-

poteſtatem Alarici veniret, facilè refellit, diluitque *Baronius ad ann.* 410. *tom.* 5. ubi hæc ait. *Scimus enim alios jactaſſe Urbem Alarico traditam proditione* Probæ Faltoniæ *Uxoris Adelphii Senatoris, commiſeratæ Romanos longâ obſidione vallatos fame, & peſte perire. Sed nulla quidem alia hujus nominis Fœmina hoc tempore Romæ vixiſſe reperitur, niſi illa, de qua ſæpè ſuperiùs, Proba Faltonia Probi Præfecti Prætorio Conjux, Mater* (dicere debuiſſet Socrus) *Julianæ, Aviaque S. Demetriadis, de quibus ſanctiſſimis Fœminis multa ſuperiùs, pluraque proximè dicturi ſumus. At quomodò id fieri conti-*

giſſe

giſſe potuit longioris obſidionis obtentu, *cùm* (ut apparet) *noviſſima obſidio iſta perpaucis tantùm diebus perduraverit? & quod ipſi ex proditione compendium*, *cùm bonorum jacturam ſit paſſa*, *vixque temulentorum Barbarorum manus evaſerit?* Hactenùs *Baronius*. Porrò quamvìs ea, quæ *Procopius* hujus fabellæ præcipuus author de Probâ memorat, de noſtrâ potiùs, quam de aliâ dicta videri poſſint; illam etenim ſatis innuiſſe patet, cum *in Ordine Senatorio opibus*, *ac ſplendore nominis præcellentem* vocavit; nihilominùs animadvertendum eſt ipſi non adſcripſiſſe familiæ Faltoniæ cognomentum, neque

eam

eam Uxorem Adelphii Senatoris appellaſſe, ut *Baronius* ſibi perſuaſit. Quod autem hic Author ſubdit, nullam aliam hujus nominis fœminam hoc tempore Romæ vixiſſe pręter Probam noſtram Faltoniam Probi Prętorio Pręfecti conjugem, probare non poſſumus, cum ſatis conſtet aliam per ea tempora Probam, & quidem elegantis ingenii fœminam in Urbe floruiſſe, de quâ proximè plura dicturi ſumus.

XLV. Multorum ſententia fuit Probam noſtram Muſarum alumnam, & ſanè celebrem extitiſſe, & ab eâ, pręter alia quamplura, concinnatum ferunt ex Virgilianis carminibus Centonem illum de novo, ac veteri Te-

Teſtamento, qui editus habetur in *Bibliothecâ SS. Patrum tom.5.pag.1218.edition.Lugdunen.* Huic opinioni etiam *Baronius* nomen dedit, eoque ductus prejudicio Probę noſtrę fidenter attribuit carmina utriuſque Epitaphii in honorem Probi Viri conſcripta, quę ſuperiùs recitavimus. *Baronii* verò authoritatem tum *Boſius*, tum etiam *Aringhus* facilè ſecuti ſunt. Verùm eâ laude Probam immeritò ornatam arbitror, nec ab ipsâ, ſed ab aliâ Poetriâ Centonẽ hunc fuiſſe compoſitum, ut omninò certum aſſerere auſim. Id mihi in primis perſuadetur ex eo, quod nemo veterum illius ęvi Scriptorum Probę noſtrę hocOpuſculum aſſigna-

ſignaverit; quin etiam *SS. Hieronymus*, *Auguſtinus*, *&* *Jo. Chryſoſtomus* Probę ſynchroni, etsì reliquas ejus virtutes magnis pręconiis celebrandas ſuſceperint in epiſtolis ſuperiùs memoratis, numquam tamen ipſam à poeticę facultatis, ſacrarumque literarum culturâ laudaverint; quod ſanè decus in fœminâ ſuſpiciendum videbatur, & Cento hic Virgilianus uberem illis ſuppeditare poterat materiam, ſi non mirandi ſtudium, ſaltem laudandi Concinnatricis ingenium, ut de eâ inquit *Iſidor. de ſcript. Eccleſiaſt. cap. 5.* Id autem argumentum, quamvìs negativum, eò etiam acriùs urgere videtur, quò magis conſtat

idem

idem Opuſculum haud ignotum *S. Hieronymo* extitiſſe; ejus enim apertè meminit in *epiſt.* 103. *ad Paulinum*, ubi nonnulla etiam carmina, quę in ipſo Centone leguntur, recitat, & expendit, ac deindè authorem leviter perſtringit his verbis. *Taceo de mei ſimilibus: qui ſi fortè ad Scripturas Sanctas poſt ſeculares literas venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, depravare ſententias, & ad vo-*

luntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem: quaſi non legerimus Homerocentonas, & Virgiliocentonas: *ac non ſic etiam Maronem ſine Chriſto poſſimus dicere Chriſtianum, quia ſcripſerit.* Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna: Jam nova progenies Cœlo demittitur alto. *Et Patrem loquentem ad filium:* Nate, meæ vires, mea magna potentia, ſolus. *Et poſt verba Salvatoris in Cruce.* Talia perſtabat memorans, fixuſque manebat. *Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia, docere quod ignores, immò, ut cum ſtomacho loquar, ne hoc quidem ſcire, quod neſcias.* Hactenùs Hieronymus, qui tamen, ut alibi, ita

etiam

etiam hìc nihil penitus innuit, quod Proba noſtra ejuſmodi opuſculum concinnaverit. Confirmatur præterea noſtrum argumentum ex eo, quod ne quidem *Claudianus*, licèt in reliquas Probæ laudes effuſus, ut ante meminimus, pangendorum carminum gloriam illi tribuerit, quam certè Poeta de Poetriâ loquens tacitam præterire minimè debuiſſet. Unde igitur mirum hoc apud Scriptores illius ævi ſilentium? non aliundè profectò derivaſſe crediderim, niſi à Probâ ipsâ, quæ verè peculiari hoc ornamento caruerit.

XLVI. Quis itaque Virgiliani Centonis legitimus, ac verus author? Hunc à fœminā

nomine *Probâ* fuiſſe compoſitum ambigendum non eſt, cum ipſa initio operis nomen ſuum profiteatur his verſibus.

Nunc Deus Omnipotens ſacrū, precor, accipe carmen,
Æternùmque tui ſeptemplicis ora reſolve
Spiritus, atque mei reſera penetralia cordis,
Arcana ut poſſim natis Proba *cuncta referre.*

Quamobrèm manifeſti erroris argui meritò poſſe videntur pauci illi Scriptores, qui Sedulio id opuſculum attribuere minimè dubitarunt; quibus tamen conſtans, & planè mirus ceterorum omnium tum veterum, tum recentium conſenſus refragatur.

Quan-

Quantum verò in hujus illuſtris Poetriæ nomine conveniunt authores, tantùm contra de illius cognomento diſſentiunt. Quidam enim *Probam Semproniam* appellant, ut notat *Julius Roſcius* in præfatione Centonis ejuſdem, quem ex pluribus exemplaribus ab eo emendatum imprimendum Romæ curavit *Dominicus Grana* anno 1588. cum Opuſculo *Antonii Maſſæ* de origine, & rebus Faliſcorum. Alii *Probam Centonam* vocant, ut *Scaliger*.Poetic.lib.1.cap.43., *exemplar* Centonis editum Venetiis per *Bernardinum Benaliam*, quod in Vaticanâ Bibliothecâ aſſervatur, notatum num. 737. Plures *Probam* tantùm:ita

omnium antiquiſſimus *Iſidor.* de Origin. lib. 1. cap. 38., & de Scriptor. Eccleſ. cap. 5. *Tritem.* ejuſd. argum. lib. v. Proba. *Honor.* ejuſd. arg. lib. ann. 430. *Sigebert.* ejuſd. argum. lib. cap. 52. *Philipp. Bergomen.* de clar. Mulier. cap. 127. *Craſs.* de Poet. Græc. verb. Proba: *exemplar* Centonis m. ſ. Bibliothec. Vatican. notatum num. 1666., quod antiquitatem præfert quingentorum circiter annorum: & aliud *exemplar* impreſſum abſque loco, & anno, ſignatum num. 6962. *Alter* verò m. ſ. ejuſdem Bibliothecæ *Codex* paris antiquitatis notatus num. 1667. *Probam Flatoniam Vecciam* nuncupat, rudi ſanè appellatione, ac, ut opinamur, ex

Fal-

Faltoniâ Aniciâ in Flatoniam Vecciam per librariorum oſcitantiam corruptâ. Nonnulli *Faltoniam Probam*, ut *Reineſius* Syntagm. Inſcript. claſs. 1. n. 39., ubi eam filiam Probi fil. Faltonii Probi Alypii Præf. V. ann. 391. fuiſſe contendit, nullo tamen authorum præſidio roboratus: Alii *Valeriam Faltoniam Probam*, ut *Thomas de Simeonibus* in ſuâ Diſſertatione de duabus Probis §. 10., &, quos ipſe allegat, imi ſubſellii ſcriptores *Jo. Raviſ. Textor*, & *Aſtolph.* in ſuis Officinis: vel *Probam Valeriam Falconiam*, quo nomine ponitur in *Theatr. Vit. Human.* tom. 6. verb. Poetæ fol. 484. Plerique demùm, quos ſequi libet, *Probam*

Falconiam indigitant. Ita *Sixt. Senenſ.* lib. 4. ſuæ Bibliothec., *Glandorp.* Onomaſt. Roman. verb. Falconii, *Greg. Gyrald.* Hiſtor. Poetar. tom. 1. Dialog. 5. *Marian. Victor.* Schol. in epiſt. 103. S. Hieronym. num. 24. in fin. *Antonius Poſſevinus* in Apparatu ſacro verb. *Proba Falconia*, & in ſelectâ Bibliothecâ lib. 16. edit. Venet. *Caſimirus Oudin.* in ſupplement. Scriptor. Eccleſ. ann. 440. pag. 82. edit. Pariſien. 1686. *exemplar* Centonis ab Aldo edit. 1501. in Biblioth. Vatic., *exemplar* Romæ editum à Dominico Grana, de quo ſupra, *exemplar Oxonienſe* citatum à Gaſp. Barth. in Claudian. de Conſulat. Probin., &

Olybr.

Olybr. num. 192., & *aliud* edit. cum Bibliothec. SS. Patrum. tom. 5. pag. 1218. Omnes autem præcitati Authores, etsì de *Probæ Poetriæ* cognomento diſſideant, eam tamen perſpicuè diſtinguunt ab aliâ *Probâ Sexti Petronii Anicii Probi conjuge*, illamque uxorem appellant Adelphii Romani Proconſulis, & claruiſſe in Urbe tradunt Honorii, ac Theodoſii junioris temporibus. Hæc eadem de Probæ Falconiæ appellatione opinati etiam ſunt *Gerard. Voſs.* de Poet. latin. cap. 4. fol. 60. *Guilelm. Cave* Hiſtor. liter. ann. 371. *Gaſpar. Barth.* in Claudian. loc. cit. *Ald. Manut.* in epiſt. ad Julium Roſcium dat. Piſis Calen. Jun. 1588. edit. cum

Opu-

Opuſcul. Anton. Maſs. de origin. & rebus Faliſc., ipſemet *Julius Roſcius* in præfatione Centonis, de quo ſupra, & noviſſimè *Hadrianus Bailettus* in opere gallico, cui titulum fecit à Judiciis Eruditorum tom. 4. part. 2. pag. 474. Verùm hi omnes in eo miſerè lapſi ſunt, quod hanc ipſam Poetriam cum aliâ Probâ Sexti Petronii Anicii Probi conjuge confuderunt. Quis autem fuerit *Adelphius* ille Proconſul Romanus, cujus Uxor Proba Poetria nuncupatur, difficile ſanè eſt reperire. Eum *Reineſius*, ſuperaddito Clodii prænomine, Conſulem facit ann. Chr. 451. nullo tamen idoneo producto teſte. Ex notitiâ Dignitatum Im-

Imperii, quam compilavit doctiſſimus *Jacobus Gothofredus tom.6. Cod. Theodoſ. pag.* 333., patet Aſiæ, Africæ, Paleſtinæ, & Achajæ tantùm fuiſſe Proconſules, quorum ibi Cathalogus exhibetur; in eo tamen nullus occurrit Adelphius, niſi fortè multinominis fuerit, ut illius ævi conſuetudo ferebat.

XLVII. Ut de cognomento, ſic de patriâ *Probæ Poetriæ* anceps eſt Scriptorum opinio. *Joannes Boccaccius* de Mulieribus illuſtribus agens eam Romanam à nonnullis fuiſſe creditam, ab aliis autem clariſſimis viris exiſtimari ait oriundam Horto, ſeu Hortano, quæ perantiqua eſt Etruriæ Civitas in Faliſcis. Ve-

rùm

rùm *Philippus Bergomenſ.* de clar. mulier. cap. 127. inſignem hanc Poetriam Hortinam fuiſſe, ut omninò certum, ac exploratum aſſerit;& ſi quid eâ in re valet totius alicujus gentis conſenſus, idem planè ſuadet Hortinorum Civium conſtans, ac inveterata ſententia, qui ibidem & Forum Falconiæ nomine nuncupatum, & magnifica veſtigia illius domus Avorum memoriâ collapſæ etiamnùm oſtendunt, ſicuti nobis affirmavit luculentus planè teſtis Illuſtriſſimus D. *Ferdinandus Nuptius* Cameræ Apoſtolicæ Clericus, & Canonicus Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ,cujus illuſtri virtute,ſpectatiſque in Aulâ Romanâ meritis

ritis Hortinæ Civitatis gloria refloreſcit. Hæc eadem de Foro, ac ædibus Probæ in Hortinâ Civitate tradit etiam *Julius Roſcius* in præfatione Centonis, cujus ante meminimus: ubi propterea ipſam Probam Hortinam nuncupare, eamque illi patriam in opuſculi fronte præſcribere minimè dubitavit. Hortinam inſupèr appellavit ex recentioribus *Hadrianus Bailettus* in opere, de quo ſupra, eique legitimum Virum adjunxit Adelphium, licèt poſteà hunc cum Sexto Petronio Anicio Probo, adeòque alteram cum alterâ Probâ perperam commiſcuerit. Cæterùm, qui Probam Romanam fuiſſe prodidere, non omni-

nò

nò rejiciendi videntur. Potuit enim Romana dici vel ex eo, quod caſu aliquo, ut ſæpè contingit, Romæ in lucem edita ſit, vel quia Romano Proconſuli nupta inter Romanas Matronas poſtmodùm adſcita, & Civitate donata fuerit, ubi etiam, *Gyraldo teſte*, ſtatua illi, ut inſigni Poetriæ, dicata fuit. Certè Falconia Gens, unde Proba prodiit, inter externas potiùs, quàm Romanas familias numeranda videtur ex iis, quæ adversùs *Gaſp. Barth. & Glandorp.* eruditè diſſerit, & ex Grutero notat *Thomas de Simeonibus* loc. cit. Verùm, cum ea omnia, quæ ad Probæ Poetriæ nomen, genus, patriam, conjugem, & ſcripta pertinent,

tinent, critico, accuratoque examine diſcutienda ſuſceperit magnæ eruditionis, optimique judicii Vir *Abb. Juſtus Fontaninus* Eminentiſſimi S. R. E. Cardin. Joſeph Renati Imperialis celebris Bibliothecæ Præfectus in opere eruditiſſimo, quod propediè m editurus in lucem eſt, ſatis mihi fuerit pauca tantùm hæc pro re natâ de eâdem illuſtri fœminâ tradidiſſe.

XLVIII. Ut autem ad inſtitutum noſtrum, undè longiùs digreſſa eſt, revocetur oratio, præmonendum occurrit, ſicut Anicii Probi, ita etiam Probæ Faltoniæ tempus obitus omninò incertum haberi. Illud tamen certum eſt ex *S. Hieronymo*

epiſt. 8.

*epiſt.*8. Probam poſt Urbis excidium, quod anno 409., Innocentio I. Pontifice, contigit, cum Julianâ Nuru, & Nepte Demetriade in Africam trajeciſſe, ubi aliquandiù permanſit, quamvìs ab Heracliano provinciæ Præſide duriùs habita; ibi inſupèr exul cuidam Romano illis in oris habitanti Demetriadem deſpondit, quę tamen, ipsâ nuptiarum die, converſo repentè animo ad perfectioris vitę ſtudium, *S. Auguſtino*, ut *Baronius* opinatur, authore, virginitatem ſuam cęleſti ſponſo conſecravit; quod egregium facinus non modò idem S. Doctor epiſt. 179. ad Probam, & Julianam, ſed etiam *S. Hieronymus* epiſt. proximè citat.,

tat., & *S.Proſper Aquitanus* epiſt. ad ipſam Demetriadem ſcriptâ ſummis laudibus meritò proſequuntur. Indè verò Proba, ſedatâ jam Gothicâ tempeſtate, Romanęque rei pace redditâ, Urbem cum affectibus ſuis repetiiſſe coniicitur ex iis, quę *Hieronymus* ad Demetriadem ſcribit eâdem epiſt.8., ubi eam, veluti Romæ cum Julianâ Matre, & Probâ Aviâ degentem alloquitur. Quod ex pluribus Hieronymi verbis deprehendere licet: præcipuè verò, dum ipſam Demetriadem appellat *Virginem Chriſti, quæ & nobilitate, & divitiis prima eſt in Orbe Romano*: & alibi, dum de illius æternâ ſalute ſolicitus eam ità

monet. *Illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, ut S. Innocentii, qui Apoſtolicæ Cathedræ, & ſupradicti Viri* (Anaſtaſii) *ſucceſſor, & filius eſt, teneas fidem: nec peregrinam, quamvìs tibi prudens, callidaque videaris, doctrinam recipias.* Id ipſum etiam enixiùs perſuadere videntur, quæ de fugiendâ nimiâ puellarum illius ævi licentiâ, de vitandis conſortiis matronarum maritis, ac ſeculo ſervientium, & de adoleſcentium unguentis delibutorum, quos cincinnatulos, & calamiſtratos appellat, conſuetudine, quaſi peſte, & pudicitiæ veneno, declinandâ prolixè diſſerit; ea enim, non niſi ad Romanam Ur-

bem

bem pertinere crediderim, in quâ populus pro vetere ingenio luxui, & voluptatibus deditus adhuc poſt Gothicam direptionem laſcivire pergebat, ut notat *Oroſius* lib. 1. cap. 6. his verbis: *poſt diſceſſionem Alarici adeò parvo quodam, & levi motu hæſitaſſe erga ſe parumpèr conſuetudinem voluptatum indubitatiſſimè conteſtatus eſt, ut liberè conclamaret, ſi reciperet Circum, nihil eſſe ſibi factum: hoc eſt: nihil egiſſe Romæ Gothorum enſes, ſi concedatur Romanis ſpectare Circenſes.* Quod autem Proba, & Juliana per id tempus cum Demetriade Romæ degerent, non levis conjectura deſumitur ex iis, quæ *Hieronymus*

ſubdit, cum ipſam Demetriadem ad contemnendas divitias, eaſque pauperibus diſtribuendas adhortatur, hæc dicens. *Ex eo tẽpore, quo Virginitati perpetuæ conſecrata es, tua non tua ſunt, immò verè tua, quia Chriſti eſſe cæperunt, quæ Aviâ vivente, vel Matre, ipſarum arbitrio diſpenſanda ſunt. Sin autem obierint, & ſomno Sanctorum requieverint (ſcio enim & hoc illas optare, ut te habeant ſuperſtitem) cum ætas maturior fuerit, & voluntas gravior, firmiorque ſententia, facies, quod tibi viſum fuerit, immò quod Dominus imperat; ſcitura nihil te habituram, niſi quod in bonis operibus erogaveris.* Hæc

ea-

eadem de Probæ, ſimulque Julianæ, & Demetriadis reditu ex Africâ ad Urbem coniicere licet ex memoratâ epiſtolâ *S. Proſperi* ad ipſam Demetriadem, cui ſervandæ Virginitatis præcepta tradens, eam, ut Romæ jam degentem, alloquitur, dum illius domus magnificentiam, & opum amplitudinem effusè prædicat, quæ, ubi eædem fœminæ per id tempus in Africâ exulaſſent, omninò prætermittenda videbantur. Illud inſupèr ipſarum reditum ex Africâ ad Urbem, atque etiam in Urbe obitum comprobare videtur, quod in eodem Probi Templo repertus olim fuerit nobilis alter Sarcophagus ſacris Imaginibus ſcul-

ptus, quem *Baronius* Sepulcrum Probæ, ac Julianæ fuiſſe ſibi perſuaſit, ejuſque formam exhibuit *tom.* 4. *Ann.* 395. *fol.* 720. Verùm, ut notat *Boſius Rom. ſubterr. lib.* 2. *cap.* 8. Artificis indiligentia, qui in eâdem Icone binas fœminas ad Chriſti pedes inclinatas delineavit, *Baronium* in eam opinionem adduxit, ut earundem Mulierum alteram Probam, alteram verò Julianam eſſe crediderit. Quod certè cum Sarcophagi fide minimè conſentiebat, in quo una dumtaxàt Mulier, & cum eâ unus Vir ad Chriſti pedes ſculpti cernebantur; quamobrèm concludit *Boſius* in ipſo Sarcophago non Probam, & Julia-

nam

nam, ſed potiùs Hermogenianum Olybrium cum Julianâ Uxore fuiſſe contumulatum. Spectabatur hic idem Sarcophagus ætate *Baronii* ad opus figlinum poſt Eccleſiam S. Marthæ ſecus apſidem S. Petri poſitam in Vaticano, ut ipſe memorat *loc. cit.* ibidemque fortè perſeverabat tempore *Boſii*, qui eum inſpexiſſe, etsì locum non indicet, perſpicuè teſtatur. Noſtrâ autem ætate ibidem certè non extat, & quò translatus fuerit, ignoramus. Demum, quod ad Probæ obitum attinet, non omittendum ipſam dubio procul vivere deſiiſſe ante Conſulatum Fl. Aetii, & Valerii, qui incidit in Annum Chr. 431. teſte *Pan-*

vin. lib. 3. Faſt. Conſular. Iis enim Conſulibus data legitur epiſtola S. Cœleſtini I. ad Theodoſium Juniorem, quam ſupra retulimus, ubi de Probæ obitu, & de latifundiis ab eâ in Aſiâ legatis pauperibus Clericis, & aliquibus Monaſteriis mentio agitur.

IL. Habes itaque Lector ex hactenùs traditis contextam clariſſimæ, & de Catholicâ Eccleſiâ optimè meritæ Proborum Familiæ genealogiam, nempe (ut paucis dicta perſtringam) ex Probo, & Probâ genitos filios tres, Olybrium, Probinum, & Probum: ex Olybrio verò, ejuſque conjuge Julianâ prognatam unicam filiam Demetriadem,

ſan-

ſanctam Virginem, Chriſtianæ pudicitiæ decus eximium: quorum omnium cineres in memorato Probi Templo antiquitus quieviſſe veriſimillimum arbitramur. Quamobrèm nobis hìc temperare non poſſumus, quin *Baronii Ann.* 395. *tom.* 4. *fol.* 718. juſtiſſimam querelam repetamus adversùs illam ætatem, quæ hujuſmodi antiquitatum naufragia tulit. *Si enim* (inquit ipſe) *illius temporis hominibus Romæ agentibus innotuiſſet, qualis extiterit Probus, Probaque conjux, & qualis ejus filia* (nurus fuit) *Juliana, & neptis ſancta Demetrias; quantumque Eccleſia Catholica horum fuerit opibus ſublevata, ac*

 præ-

præclaris virtutibus illuſtrata; quotque etiam, quantiſque inſuper eædem ſanctiſſimæ Fœminæ ſanctorum Patrum præconiis fuerint celebratæ: certè quidem ſemper viventes ejuſmodi memorias reliquiſſent, coluiſſentque debito venerationis officio: & licèt conſtruendæ novæ molis causâ indè eorum monumenta dimoveri neceſſitas compuliſſet; eadem tamen aliò tranſlata ſarta tecta integrè cuſtodita ſervaſſent, neque in alium, quantumlibet ſacrum uſum, quoquomodò transferri aliquandò paſſi fuiſſent.

FINIS.

SYNOPSIS OPERIS.

BAſilica Vaticana à multitudine, atque præſtantiâ Sanctorũ Corporum in eâ quieſcentium præcipuè commendatur. §. 1.

Mira ſanctorum Corporum copia ſub illius pavimento repertorum, dum novi Templi fundamenta jacerentur. §. 2. 3.

Inde profecta traditur maxima, & vetuſtiſſima ejuſdem Baſilicæ veneratio apud univerſos Fideles. §. 4.

Aniciæ Familiæ ſepulchra in Vaticano: ejuſdem claritudo, potentia, & pietas. §. 5.

Probi Anicii monumentum in Vaticano §. 6.

Sar-

Sarcophagi Marmorei in eodem Monumento reperti forma, & varia fortuna. §. 6. 7.

Ejuſdem Sarcophagi partes deſcribuntur. §. 8. 9. 10. & 11.

Imagines in Sarcophagi fronte ſculptæ explicantur; & primùm quid ſignificet Salvatoris imberbis effigies §. 12. Quid Crux gemmata in dextrâ Salvatoris. §. 13. Quid Volumina in manibus Chriſti Domini, & Apoſtolorum §. 14. Quid Mons, cui Salvator inſiſtit. ibid. *Quid eorumdem Imagines tunicatæ, & palliatæ. §. 15. Quid Sandalia in eorum pedibus. §. 16. Quid quatuor Fontes è Monte, cui Salvator inſiſtit, ſcaturientes. §. 17. Cur S. Petrus ad ſiniſtrã*

S. Pau-

S. Pauli ſculptus §. 18. *Antiquus mos ponendi Paulum ad dextram Petri diſcutitur. Affertur opinio ſentientium partem lævam apud Veteres in ſacris dextrâ fuiſſe digniorem.* §. 19. *Proponitur alia opinio huic contraria exiſtimantium Paulum Petro præferri honoris gratiâ.* §. 20. *Allegantur ſex rationes, quibus ſecunda hæc opinio fulcitur, à* §. 21. *ad* 26. *Tertia profertur opinio putantium morem hunc Scalptorum, Pictorumque oſcitantiâ in Eccleſiam invectum.* §. 27. *Ea conſuetudo numquam conſtans, ſed potiùs varia fuit, & adbuc eſt.* §. 28. *Quæ varietas probabili ratione nixa demonſtratur,*

ut

ut ſcilicèt per eam æqualitas inter utrumque Apoſtolum ſignificetur. §. 29.

Sarcophagi poſterior pars explicatur. Cur Proba ad dextram Probi viri collocata: Quid ſtola, & palla, quibus ipſa Mulier induitur. §. 30. *Cur Probus tunicâ, & pallio veſtitus: Quid volumen, ſeù liber in ejus ſiniſtrâ poſitus.* §. 31. *Quid Columbarum, vel Turturum figuræ ſignificent.* §. 32.

Antiquiſſimus ſacrarum Imaginum cultus oſtenditur. §. 33.

Catholicæ Eccleſiæ traditio, quòd viventes juventur precibus defunctorum, vetuſtiſſima demonſtratur. ibid.

Probi Anicii vita, mores, & ge-

geſta narrantur. §. 34. 35. & 36. *Ammiani Marcellini de illius moribus judicium refellitur*. ibid. *Teſtimonia Authorum de Probo*. ibid. *Antiquæ Inſcriptiones in illius honorem*. §. 37. *Card. Baronii lapſus de Julianâ Probi, & Probæ nuru ab ipſo emendatus*. ibid.

Probi obitus tempus inquiritur. §. 38.

An Proba Faltonia in eodem Probi viri Sarcophago conſepulta fuerit. §. 39. *Ejus genus, & vita*. §. 40. *Sanctorũ Patrum, aliorumque Authorum de ipsâ Elogia*. §. 41. *Veteres Inſciptiones in illius honorem*. §. 42.

Stemma Familiæ Probi, & Probæ exhibetur. §. 43.

Fa-

Fabella de proditione Urbis Alarico Gothorum Regi à Probâ perpetratâ explicatur, atque refellitur. §. 44.

Opinio Authorum Centonem ex Virgilio de utroque Teſtamento adſcribentiũ Probæ Faltoniæ expenditur, & confutatur. §. 45.

Verus ejuſdem Centonis Author inquiritur, & Probæ Falconiæ aſſignatur. §. 46. An ipſa Poetria Hortina fuerit. §. 47.

Tempus obitus Probæ Faltoniæ inveſtigatur ex conjecturis. §. 48.

Baronii querela de veteribus Monumentis Probi, & Probæ dirutis inſtauratur §.. 49.


FINIS.

Errata ſic Corriges

pag. 15. lin. ult. *fontè* *fonte*
pag. 93. lin. 7. 370. 371.
pag. 111. lin. 9. *ſilii* *ſiliorum*
pag. 130. lin. 3. ORNA. MENTO. ORNA MENTO.

pag. 106. 107., & 108. verba ſingula duarum Inſcriptionum ad Sextum Petronium Probum pertinentium ſingulis punctis diſtinguenda ſunt. Cetera leviora, benigne Lector, aut feres, aut emendabis.


SARCOPHAGVS MARMOREVS
PROBI ET PROBÆ
Ex Vaticano Coemeterio effoſſus


PROBI EIVSD: SARGOPHAGI
PARTES LATERALES


PROBI EIVSDEM SARCOPHAGI PARS POSTERIOR

75